6025 a 22

Samuelis Pufendorfii,

DE OFFICIO

HOMINIS & CIVIS,

Juxta

LEGEM NATURALEM

LIBRI DUO.

CANTABRIGIÆ,

Ex Officina *Joan. Hayes*, Celeberrimæ Academiæ Typographi, 1682.

Impensis *Joan. Creed*, Bibliopolæ, *Cantab.*

ILLUSTRISSIMO ATQ. CELSISSIMO HEROI

DOMINO GUSTAVO OTTONI STEENBOCK,

COMITI IN BOGESUND, LIBERO BARONI IN CHRONEBECH ET ÖHRESTEEN, &c.

REGNI SUECIÆ ARCHITHALASSO, ET ACADEMIÆ GOTHORUM CAROLINÆ CANCELLARIO, &c.

DOMINO MEO GRATIOSISSIMO.

ILLUSTRISSIME
Atque
CELSISSIME COMES,

Domine Gratioſiſſime,

Haut levis in diverſa animum meum diſtrahebat dubitatio, num ſatis ex decoro foret, tantillum opus tam illuſtris ſibi Nominis auſpicia adſcitum ire. Nam ex una parte ruborem incutiebat libelli tenuitas, qui nullius ingenii aut ſplendoris capax erat; quippe prima duntaxat rudimenta moralis philoſophiæ, ex diffuſiore noſtro opere fere excerpta complectens. Qui uti fortaſſe aliquem præbere uſum poteſt primum eam ad diſciplinam gradum molientibus: ita ſi & faſtigii Tui, & meæ obligationis heic habenda erat ratio, ad neutram ſatis adparebat attemperatus. Ex altera parte devotiſſimum ILLUSTRISSIMÆ

TUÆ

TUÆ EXCELLENTIÆ animum ſtimulabant privata non minus quam publica Tua merita, ut ingrati notam ſibi vehementer pertimeſcendam duceret, ſi qualemcunque occaſionem negligeret ſaltem conteſtandi, quantopere Eidem foret devinctus. Neque de illis jam meritis loquor, queis per res domi foriſque egregie geſtas patriam Tibi maximopere obſtrictam reddidiſti, ſimúlque Nomen Tuum immortali gloriæ dudum dedicaſti. Iſta pro dignitate recenſere, hiſtoriæ labor eſt, quæ dum circa glorioſiſſima Nationis Tuæ facinora, & feliciſſime per tot regiones circumlata arma deſudat, magnam Te ſemper tantarum rerum partem deprehendit; Eundémque, ubi à bellis ceſſatum eſt, primum ampliſſimæ provinciæ gubernandæ, poſt totius regni tutorio moderamini admotum non minus pacis artibus efflorescentem admiratur. Iſta potius hoc loco attingere fas fuerit, quæ in recentem hanc Academiam, in qua in vitante Optimo Maximo REGE fortunarum ſedem figere mihi datum fuit, ab ILLUSTRISSIMA TUA EXCELLENTIA profecta ſunt. Quæ Te ſapientiſſimum juxta ac benigniſſimum defenſorem, ac ſummum moderatorem nunquam pro meritis ſatis deprædicare poteſt, dum ſuis commodis ac ornamentis inter tantam publicorum negotiorum molem citra tædium velificantem quotidie deprehendit. Enimvero quæ peculiariter ILLUSTRISSIMA TUA EXCELLENTIA in me contulit, qua cum veneratione à me æſtimanda ſunt? Aliis ſumma vo-

torum est, id fastigii Viris innotescere, & probari. Ast mihi ita effusa Tua gratia allubuit, ut eandem & in commodis meis promovendis, & in assultibus malevolorum abs me averruncandis non semel benignissimam expertus sim. Quibus ut aliquid reponatur, cum longe supra mensuram fortunæ meæ sit; necessarium tamen utique fuerit, saltem submisso animi cultu, & ingenua tot beneficiorum professione defungi; postquam id quoque summorum Virorum benignitas habet, ut grati contestatione animi libenter sibi satisfieri patiatur. Et quia generosis mortalium solenne est, etiam tenui sibi exhibito cultui interpretatione pietatis dignationem ultro addere; id quoque ILLUSTRISSIMÆ TUÆ EXCELLENTIÆ bonitas sperare me jubet, ut in magnitudinem Tuam deliquisse non videar, si tam exiguo opusculo utar in occasionem publice exprimendi erga Eandem devotissimi mei animi. Nam splendidius aliquod, & quod ævum ferre queat opus, abs me expectare longum fuerit; præsertim cum immane quantum refrigerentur ingenia, si deprehendant, dum vulgo sese laborant eripere, livorem & inscitiam impune in se dentem exercere, otii rationem non reddi. Novo tamen vigore efflorescet animus, & oborta tædia ejiciet, si huncce cultum ab ILLUSTRISSIMA TUA EXCELLENTIA placida fronte admissum intellexero; simulque in posterum de gratia, & patrocinio Tuo securum me esse jusseris. Ita DEUS O. M. ILLUSTRISSIMAM

TUAM

TUAM EXCELLENTIAM, in Patriæ, Splendidissimæ Tuæ Familiæ, ac nostræ novellæ reip. decus ac emolumentum plurimos per annos florentem vigentemque conservet!

ILLUSTRISSIMÆ TUÆ EXCELLENTIÆ

devotissimus

SAMUEL PUFENDORF.

Londini Scanorum
X. Kal. Febr. A.
M. DC. LXXIII.

LECTO-

LECTORI BENEVOLO SALUTEM.

SI receptus pleriſque eruditis mos legis propemodum vim induiſſet, ſupervacuum videri poterat circa rationem hujus ſcripti aliquid præfari; cum res ipſa ſatis loquatur, me nihil aliud egiſſe, quam ut tironibus præcipua juris naturalis capita brevi, & ut arbitror perſpicuo compendio exponerem: ne ſi citra cognitionem velut elementarem in diffuſa ejus diſciplinæ ſpatia ſeſe immiſerint, copia & difficultate rerum ab initio protelentur. Simul & illud publico expedire viſum, ejuſmodi doctrina morali ſtudioſæ juventutis animos imbui, cujus uſus manifeſtus in vita civili ſpectaretur. Et licet alias ſemper inglorium judicaverim, aliorum diffuſiora ſcripta, & multo magis propria, in compendium redigere: tamen cum ſuperiorum autoritas accederet, à cordatis vitio mihi verſum

iri

iri non arbitror, quod isthoc laboris unice juventutis utilitati dare voluerim; cujus merito tantus esse favor debet, ut in ejusdem gratiam susceptа opera, etiam ingenii & splendoris non capax, nemine indigna sit judicanda. Cæterum quin ejusmodi principia ad universam juris disciplinam magis idonea sint, quam cujusvis juris civilis elementa, nemo cui sanum sinciput abnuet. Atque hæc in præsens sufficere poterant, ni quidam monuissent, non abs re fore, quædam præmittere, quæ ad indolem juris naturalis in universum intelligendam, ejusdemque limites accuratius designandos facerent. Quod eo libentius suscepi, quia hoc modo prætextus adimitur hominibus importune curiosis febriculosam suam censuram extendendi ad hancce disciplinam, quæ sæpe velut interjecta ab ipsorum provincia disjungitur. Manifestum igitur est, ex tribus velut fontibus homines cognitionem officii sui, & quid in hac vita sibi tanquam honestum sit agendum tanquam turpe omittendum, haurire; ex lumine rationis, ex legibus civilibus, & ex peculiari revelatione divini Numinis. Ex primo fluunt officia hominis communissima, præcipue quæ ipsum cum aliis hominibus sociabilem reddunt: ex altero officia hominis, quatenus peculiari & definitæ civitati subjectus degit: ex tertio officia hominis Christiani. Inde & tres separatæ disciplinæ proveniunt, quarum prima est juris naturalis, omnibus gentibus communis: altera

juris

juris civilis ſingularum civitatum, quæ tam multiplex eſt, aut eſſe poteſt, quot numero ſunt civitates, in quas genus humanum diſceſſit. Tertia Theologia moralis habetur, illi parti Theologiæ contradiſtincta, quibus credenda exponuntur. Singulæ harum diſciplinarum modum ſua dogmata probandi adhibent, ſuo principio reſpondentem. In jure naturali aliquid faciendum aſſeritur, quia per rectam rationem idem ad ſocialitatem inter homines neceſſarium colligitur. Præceptorum juris civilis ultima ratio eſt, quia legiſlator ita conſtituit. Theologus moralis in eo ultimo adquieſcit, quia DEUS in Scripturis Sacris ita juſſit. Quemadmodum autem diſciplina juris civilis jus naturale tanquam generalem magis diſciplinam præſupponit: ita ſi quid jure civili continetur, de quo jus naturale ſilet, non ideo hoc illi repugnare cenſendum eſt. Simili modo ſi in Theologia morali aliqua tradantur, ex revelatione divina profluentia, ad quæ ratio noſtra jam non pertingit, quæque adeo & jus naturale ignorat: imperitum valde foret, ideo illam cum hac committere, aut repugnantiam aliquam iſtarum diſciplinarum ſomniare. Vice verſa, ſi quæ in diſciplina juris naturalis præſupponantur ex eo, quod per rationem inveſtigari poteſt, illa propterea iis, quæ Sacræ Literæ ſuper eadem re liquidius tradunt, nequaquam opponuntur, ſed tantum abſtrahendo concipiuntur. Sic v.g. in diſciplina

ciplina juris naturalis, abſtrahendo ab illa cognitione, quæ ex Sacra Scriptura hauritur, formatur conditio primi hominis, utcunque in mundum projecti, quatenus ſola ratiocinatio aſſequi poteſt. Iſta opponere iis, quæ ſuper eadem conditione divinæ literæ tradunt, hic vero eſt ſuccus nigræ loliginis, hæc eſt ærugo mera. Enimvero uti juri quidem civili, & naturali facile inter ſe conveniet: ita inter idem jus naturale & Theologiam moralem fines regere, ac quibus potiſſimum partibus illa differant definire, paulo operoſius videtur. Qua ſuper re paucis ſententiam meam exponam, non quidem pro autoritate Papali, ac ſi ab omni errore privilegio aliquo mihi cautum foret, neque qui ex ſomniis divinitus immiſſis, aut irrationabili aliquo inſtinctu ſingularis cujuſdam illuminationis fiducia animetur; ſed tanquam talis, cui ſpartam ſibi commiſſam pro modulo ingenii exornare cordi ſit. Ita tamen ut, quemadmodum cordatos & eruditos viros meliora ſuggerentes lubenter audire, & citra pertinaciam prius placita emendare ſum paratus: ita flocci faciam Midæ æmulos cenſores, rerum ad ſe nihil ſpectantium arbitria proterve involantes, totamque ardelionum nationem, cujus characterem lepidiſſime *Phædrus* repræſentat: *Trepide*, inquit, *concurſans, occupata in otio, Gratis anhelans, multa agendo nihil agens, Sibi moleſta, & aliis odioſiſſima.* Primum igitur diſcrimen, quo

iſtæ

istæ disciplinæ invicem separantur, resultat ex diverso fonte, unde sua dogmata utraque derivat; de quo jam jam tetigimus. Ex quo consequitur; si aliqua sint, quæ divinis literis agere aut omittere jubeamur, quorum necessitatem tamen ratio sibi relicta perspicere nequit, illa extra jus naturale esse, & ad Theologiam moralem proprie spectare. Præterea in Theologia lex consideratur, prout innexam habet divinam promissionem, & quandam rationem fœderis inter DEUM & homines. Abs qua consideratione jus naturale abstrahit; quippe cum ista à peculiari DEI revelatione proficiscatur, quam sola ratio invenire nequit. Illud porro discrimen longe maximum est, quod finis disciplinæ juris naturalis tantum ambitu hujus vitæ includatur, adeoque ea hominem formet, prout hanc vitam cum aliis sociabilem exigere debeat. Ast Theologia moralis hominem Christianum informat, cui propositum esse debet non hanc solum vitam honeste transire; sed qui fructum pietatis post hancce vitam maxime expectat, quique adeo πολίτευμα suum in cœlis habet, heic autem viatoris duntaxat aut peregrini instar gerit. Quanquam enim animus hominis non solum ardenti cum affectu immortalitati velut immineat, suique destructionem vehementer aversetur; atque inde apud plerosque gentilium inoleverit persuasio de animæ à corpore separatæ duratione, & quod tunc bonis bene, malis male

male ſit futurum: ejuſmodi tamen circa hæc perſuaſio, in qua animus hominis plane & firmiter adquieſcere poſſit, ex ſolo Dei verbo hauritur. Inde & juris naturalis ſcita ad forum duntaxat humanum adaptantur, quod ultra hancce vitam ſeſe non extendit; quæ ipſa multis in partibus prave ad forum divinum adplicantur, circa quod Theologiæ maxime curæ eſt. Ex quo & illud fluit, ut, quia forum humanum circa externas tantum hominis actiones occupatur, ad ea autem, quæ intra pectus latitant, nec aliquem effectum, aut ſignum foras produnt, non penetret, adeoque nec circa eadem ſit ſolicitum; jus quoque naturale magnam partem circa formandas hominis exteriores actiones verſetur. Aſt Theologiæ morali non ſufficit exteriores hominis mores utcunque ad decus compoſuiſſe; ſed in eo maxime laborat, ut animus, ejuſque motus interni ad placitum Numinis fingantur: & illas ipſas actiones improbat, quæ extrinſecus quidem recte ſe videntur habere, ab animo tamen impuro promanant. Quæ ratio etiam videtur, quare in divinis libris haut ita frequenter agatur de illis actionibus, quæ pœnis fori humani ſunt ſancitæ, aut circa quas ibidem jus dicitur; quam de illis, quæ, uti *Seneca* loquitur, ſunt extra publicas tabulas. Uti manifeſte adparet iis, qui præcepta & virtutes ibidem inculcatas accurate inſpexerit. Etſi cum & illæ ipſæ virtutes Chriſtianæ animos

mos hominum ad ſocialitatem quam maxime diſponant, Theologia quoque moralis honeſtatem vitæ civilis efficaciſſime promoveat. Uti & vice verſa, ſi aliquem videas, qui turbulentum, & importunum vitæ civilis membrum ſe gerat; tuto judices licet, religionem Chriſtianam intra labra tantum ipſi hærere, cor nondum penetraſſe. Atque ex hiſce non ſolum genuini limites, qui jus naturale, prout à nobis illud traditur, à Theologia morali ſeparant, manifeſte puto adparent: ſed etiam quod jus naturale nequaquam dogmatibus veræ Theologiæ repugnet; ſed tantum à quibuſdam ejus dogmatibus, quæ per ſolam rationem inveſtigari nequeunt, abſtrahat. Unde & illud patet, neceſſarium eſſe, ut in diſciplina juris naturalis homo nunc conſideretur, prout ipſius natura eſt corrupta, adeoque prout eſt animal multis pravis cupidinibus ſcatens. Nam etſi nemo tam ſtupidus ſit, quin in ſeipſo inordinatos ac in devia tendentes affectus deprehendat: tamen niſi divinæ literæ prælucerent, nemini jam conſtare poſſet, iſtam affectuum rebellionem per culpam primi hominis proveniſſe. Et conſequenter cum jus naturale ad ea non abeat, quo ratio pertingere nequit, incongruum foret, idem ex natura hominis integra velle deducere. Præſertim cum & pleraque præcepta ipſius Decalogi, prout verbis negativis concepta ſunt, naturam hominis corruptam manifeſte præſuppo-

nant.

nant. Sic v. g. primum præceptum utique præſupponere videtur hominem ad idololatriam & πολυθεότητα credendam proclivem. Si enim ponas hominem, integra adhuc natura præditum, in quo liquida DEI erat cognitio, & qui ſubinde velut familiari ejus revelatione fruebatur: non video, quomodo tali in mentem venire potuerit, aliquid ſibi fingere, quod loco veri DEI, aut cum eo colere vellet, aut credere in eo Numen ineſſe, quod ipſe finxerat. Igitur huic opus non erat verbis negativis injungi, ne deos alienos coleret; ſed ſufficiebat eidem ſimplex & affirmativum præceptum, diliges, honorabis, & coles Deum, quem univerſi hujus, & tuum quoque creatorem noſti. Idem circa ſecundum præceptum obtinet. Nam quare negativo præcepto vetaretur Deum blaſphemare, qui liquido ipſius majeſtatem & beneficia intelligebat, & quem nullæ pravæ cupidines agitabant, cujuſque animus ſtatu ſibi à Deo aſſignato placide adquieſcebat? Quomodo hunc tanta inſania ſubire poterat? Quin hic affirmativo tantum præcepto monendus erat, ut nomen Dei glorificaret. Aliter tamen dicendum videtur de tertio, ut & quarto præcepto; quæ cum affirmativa ſint, neque neceſſario corruptam naturam præſupponant, in utroque ſtatu locum invenire poſſunt. Sed circa reliqua præcepta, proximum ſpectantia, res æque eſt manife-

ſtiſſima. Homini enim, qualis initio a Deo conditus erat, ſufficiebat ſimpliciter injunxiſſe, ut proximum ſuum diligeret; ad quod & natura proclivis erat. Aſt quomodo eidem poterat præcipi, ne occideret, quando nondum mors cadebat in hominem, quæ per peccatum in mundum introivit? Verum nunc negativo præcepto quam maxime opus eſt, ubi pro dilectione tanta odia inter homines graſſantur, ut etiam magna eorum ſeges detur, qui ex mera invidia, aut libidine alterius fortunam invadendi alios non innocentes ſolum, ſed & amicos, & de ipſis bene meritos ſubverſum ire non dubitent; & quidem ut horridum & inconſultum turbulenti animi impetum ſub conſcientiæ vocabulo, ſi diis placet, venditare non erubeſcant. Sic quid opus erat expreſſe adulteria vetare inter eos conjuges, qui tam ardenti & ſincero amore ſeſe amplecterentur? Aut quid furta vetare intererat, cum nulla adhuc avaritia, nulla penuria foret, & nemo quid ſibi proprium putaret, quod alteri prodeſſe poſſet? Aut quid neceſſum erat falſa teſtimonia interdicere, cum nondum exiſterent, qui exinde famam ſibi atque gloriam aucuparentur, ſi alterum fœda atque inficeta calumnia adſpergere poſſent? Sic ut non inepte huc adplicaveris illud *Taciti: Vetuſtiſſimi mortalium, nulla adhuc mala libidine, ſine probro, ſcelere, eoque ſine pœna aut coërcitionibus agebant:*

& *ubi nihil contra morem cuperent, nihil per metum vetabantur.* Atque hæc ipſa probe intellecta viam pandere poſſunt ad amovendam eam dubitationem; num igitur lex diverſa fuerit in ſtatu naturæ integræ, an vero eadem? Ubi paucis reſponderi poteſt; ſumma legis capita in utroque ſtatu eſſe eadem: ſed multa præcepta particularia propter diverſitatem conditionis humanæ variare; ſeu potius, eandem ſummam legis per diverſa, (non tamen contraria) præcepta ſeſe explicare, prout diverſo ſeſe modo habuit homo, cui illa lex obſervanda. Summam legis Salvator noſter ad duo capita redegit: dilige DEUM, & dilige proximum. Ad hæc capita referri poteſt univerſa lex naturalis, tam in integro, quam in corruptò ſtatu hominum; (niſi quod in ſtatu integro nullum aut modicum videatur diſcrimen fuiſſe inter jus naturale, & Theologiam moralem.) Nam & ſocialitas, quam nos pro fundamento juri naturali ſubſtravimus, commode in dilectionem proximi reſolvi poteſt. Sed quando ad præcepta particularia deſcenditur, ſane diſcrimen non leve emergit tam circa præcepta affirmativa quam negativa. Et quidem affirmativa præcepta quod attinet, eorum non pauca jam in iſthoc ſtatu dantur, quibus in primævo ſtatu locus non fuiſſe videtur: idque partim quia illa præſupponunt tale inſtitutum, quod an in feliciſſimam hominum conditio-

nem cadat, non conſtat; partim quia ſi
ne miſeria & morte, quæ ab illo ſtatu e
ulabat, non intelliguntur. v. g. Jam in
ter præcepta legis naturalis eſt, ne qu
alterum in emtione aut venditione decipiat, n
falſa ulna, menſura, aut pondere utatur
ut pecuniam creditam convento tempor
reſtituat. Aſt illud nondum ad liquidum
eſt perductum, an ſi peccati expers ge
nus humanum perſtitiſſet, ejuſmodi com
mercia, qualia nunc agitantur, exercen
da fuerint, & an aliquis uſus pecuniæ tun
futurus fuerit. Sic ſi tales civitates, qua
les nunc ſunt, in ſtatu innocentiæ locum
non habuerunt; locus quoque ibidem no
fuit præceptis, quæ id genus civitatum
iiſque contentum imperium præſupponunt
Jam quoque jure naturali jubemur ſuccur
rere egenis, ſubvenire iniqua calamitate
oppreſſis, curam habere viduarum, or
phanorumque. Atqui hæc fruſtra præcipi
untur iis, qui miſeriæ, egeſtati, mor
tique non ſunt obnoxii. Ad condonandas
injurias, pacemque conciliandam prono
eſſe nos jam jubet lex naturalis. Quæ fru
ſtranea eſt inter eos, qui in leges ſocialita
tis non peccant. Atque id ipſum manifeſte
quoque perſpicitur in præceptis negativis,
ad jus jam naturale (non poſitivum) ſpe
ctantibus. Etſi enim quodvis præceptum
affirmativum virtualiter contineat interdi
ctum omnis oppoſiti; (v. g. qui jubetur di
ligere proximum, eo ipſo vetatur inferre
illi

li omnia, quæ dilectioni repugnant:) tamen ut expreſſis præceptis illa ſanciantur, ſuperfluum videtur, ubi nullæ pravæ cupiditates ad talia patranda propellunt. Ad quod illuſtrandum accommodari poteſt, quod Solon parricidarum pœnam lege publica ſanxire noluit, quod tantum ſcelus in aliquem filium cadere non arbitraretur. Cui ſimile eſt, quod *Franc. Lopez*, *de Gomara hiſt. Gen. Ind. Occident.* cap. 207. refert de populis Nicaraguæ, apud illos nullam fuiſſe ſtatutam pœnam in eum, qui regulum, (Cacique ipſi vocant) occidiſſet; quod nullus, aiebant, ſit ſubditus, qui excogitare aut patrare tam dirum facinus velit. Vereor ne putidum videatur iſthæc tam aperta pluribus inculcare. Ad tironum tamen captum hoc exempli addam. Sunt alicujus informationi commiſſi duo pueri, ſed diſpari plane indole. Unus modeſtus eſt, verecunduſque, & magno literarum amore flagrans. Alter diſſolutus, petulans, fœdas potius libidines, quam libros amat. Summa officii utrique eadem, literas addiſcere. Sed peculiaria præcepta diſparia. Priori enim ſufficit injunxiſſe, quæ ſtudia, quo tempore, quave ratione tractare debeat. Alteri præter hæc acerrima ſub comminatione vetandum, ne circumcurſitet, ne alea ludat, ne libros vendat, ne in exercitiis componendis aliena vitula aret, ne pergræcetur, ne ſcorta conſectetur. Eadem ſi quis prioris indolis puero operoſe declamare inſtituat, hic ἐνφημεῖν ipſum

ipsum jubebit, & cuivis potius quam sibi ist canere, qui talium nulla cupidine tangatur. Ex quo manifestum arbitror esse, longe aliam fore juris naturalis faciem, si quis statum hominis integrum velit præsupponere. Simulque cum tam liquido limites hujus disciplinæ, quibus à Theologia morali sejungitur, designati sint; non deteriore hancce disciplinam conditione futuram, quam jurisprudentiam civilem, medicinam, scientiam naturalem, aut matheſin; in quas si aliquis ἀμύητος irrumpere audeat, sine populi suffragiis censuram sibi vindicans, non dubitant ipsi occinere, quod quondam Apelles Megabyzo, de arte pictoria nescio quid disserere aggredienti: quæso, aiebat, tace, ne pueri, qui melidem terunt, te irrideant, loqui orsum de rebus, quas non didicisti. Sed cum bonis quidem cordatisque viris facile nobis conveniet. Malevolos autem, ineruditosque obtrectatores satius fuerit invidiæ suæ excruciandos commendare; siquidem utique constat, æterna positumque lege est, ut Æthiops cutem non mutet.

ELEN-

ELENCHUS CAPITUM LIBRI PRIMI.

CAPUT I.

De actione humana. p. 1.
Cap. 2. De Norma actionum humanarum, seu de lege in genere. 12.
Cap. 3. De lege naturali. 18.
Cap. 4. De officio hominis erga Deum, seu de religione naturali. 24.
Cap. 5. De officio hominis erga seipsum. 31.
Cap. 6. De officio quorumlibet erga quoslibet; & primo, de non lædendis aliis. 42.
Cap. 7. De agnoscenda naturali hominum Æqualitate. 47.
Cap. 8. De promiscuis officiis humanitatis. 50.
Cap. 9. De officio paciscentium in genere. 53.
Cap. 10. De officio Sermocinantium. 62.
Cap. 11. De officio jurantium. 66.
Cap. 12. De officio circa adquirendum rerum Domium. 69.
Cap. 13. De officiis, quæ ex Dominio rerum per se resultant. 76.
Cap. 14. De pretio. 78.
Cap. 15. De contractibus, qui pretia rerum præsupponunt, & fluentibus inde officiis. 82.
Cap. 16. Quibus modis solvantur obligationes, quæ ex pactis oriuntur. 91.
Cap. 17. De interpretatione. 93.

LIBRI

LIBRI SECUNDI.

CAPUT I.

DE *ſtatu hominum naturali.* 98.
Cap. 2. *De officiis conjugalibus.* 104.
Cap. 3. *De officiis parentum & liberorum.* 108.
Cap. 4. *De officiis Dominorum & ſervorum.* 112.
Cap. 5. *De Cauſa impulſiva conſtituendæ civitatis.* 115.
Cap. 6. *De interna civitatum ſtructura.* 118.
Cap. 7. *De partibus ſummi imperii.* 123.
Cap. 8. *De formis rerumpubl.* 126.
Cap. 9. *De affectionibus Imperii civilis.* 130.
Cap. 10. *De modis adquirendi Imperium, inprimis monarchicum.* 132.
Cap. 11. *De Officio ſummorum Imperantium.* 135.
Cap. 12. *De legibus civilibus in ſpecie.* 140.
Cap. 13. *De Jure vitæ ac necis.* 143.
Cap. 14. *De exiſtimatione.* 148.
Cap. 15. *De poteſtate ſummi Imperii in bona civitate contenta.* 152.
Cap. 16. *De bello & pace.* 154.
Cap. 17. *De fœderibus.* 159.
Cap. 18. *De officiis civium.* 161.

Samuelis

Samuelis Pufendorfii,

DE OFFICIO HOMINIS & CIVIS.

LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

De Actione Humana.

§. 1. OFficium nobis heic vocatur actio hominis pro ratione obligationis ad præscriptum legum recte attemperata. Ad quod intelligendum, necessarium est præmittere tum de natura actionis humanæ, tum de legibus in universum.

§. 2. Per *humanam actionem* intelligimus non quemvis motum à facultatibus hominis procedentem; sed illum duntaxat, qui provenit ac dirigitur ab iis facultatibus, quæ humano generi præ brutis Creator O. M. attribuit, nempe qui velut prælucente *intellectu*, ac decernente *voluntate* suscipitur.

§. 3. Datum quippe est homini, ut non solum varias res, quæ in hoc universo occurrunt, possit cognoscere, eas inter se conferre, & harum occasione novas sibi notiones formare: sed ut etiam possit prospicere, quid acturus sit, ac ad id exsequendum sese movere, idémque ad certam normam, certúmque finem conformare, & quid inde proventurum sit colligere. Quin & quæ peracta jam sunt, an ad regulam congruant, judicare. Sed nec omnes hominis facultates sese perpetuo, aut

modo uniformi movent: verum aliquæ iſtarum intrinſeco hominis impulſu excitantur, excitatæque temperantur, & diriguntur. Denique nec in omnia objecta promiſcue homo fertur, ſed quædam adpetit, quædam averſatur. Sæpe quoque licet objectum agendi adſit, motum ſuſpendit; & pluribus objectis præſentibus unum eligit, cætera reſpuit.

§. 4. Circa facultatem ergo comprehendendi & de judicandi res, quæ *intellectus* vocabulo venit, id ante omnia pro certo habendum eſt: cuilibet homini matura ætate & mente integra tantum ſupereſſe naturalis velut luminis, ut adhibita cultura, ac debita meditatione poſſit recte comprehendere ſaltem generalia illa præcepta & principia, quæ ad vitam hancce honeſte & tranquille exigendam faciunt; ſimúlque judicare, iſta utíque indoli humanæ congruere. Hoc enim niſi ſaltem intra ſphæram fori humani admittatur, quibuſvis ſuis delictis homines ignorantiam invincibilem obtendere poſſent: cum nemo in foro humano argui poſſit violaſſe regulam, quam capere ſupra ipſius vires eſt.

§. 5. Intellectus hominis, quando de eo, quod agendum vel omittendum eſt, recte informatus fuerit, & quidem ita, ut ſententiæ ſuæ certas & indubias rationes norit reddere, ſolet vocari *conſcientia recta*. Sed ubi quis veram quidem ſententiam circa agenda vel omittenda fovet, quam tamen ipſe per rationes demonſtrare nequeat, ſed eandem ex vitæ civilis tenore, ex aſſuetudine, aut ſuperiorum autoritate hauſerit; nec tamen ipſi ſuppetat ratio, quæ contrarium magis perſuadeat, ſolet vocari *conſcientia probabilis*. Qua maxima pars mortalium regitur: quippe cum paucis rerum cognoſcere cauſas conceſſum ſit.

§. 6. Solet tamen quibuſdam non raro evenire, circa caſus potiſſimum ſingulares; ut ex utraque parte ſefe offerant rationes; nec illi ita polleant judicio, ut, utra præponderent, liquido diſcernere queant. Id quod vocari ſuevit *conſcientia dubia*. De qua hæc eſt regula: quamdiu in ancipiti hæret judicium, bonum quid ſit, an malum, actio erit ſuſpendenda. Nam nondum diſcuſſa

ſa dubitatione ad agendum ſeſe determinare, pro-
ſitum peccandi, aut ſaltem neglectum legis invol-
t.

§. 7. Sæpe etiam intellectus hominis pro vero falſum
prehendit; & tunc in *errore* verſari dicitur. Qui
ror *vincibilis* ſolet adpellari, quando quis adhibita
tentione & diligentia debita cavere poterat, ne in
m incideret. *Invincibilis* autem, quando quis etiam
dhibita omni diligentia, quam vitæ communis ratio
rt, iſtum evitare non poterat. Qualis error tamen
ltem inter eos, queis rationis lumen excolere, &
itam ad honeſtatem componere cordi eſt, non circa
ommunia vivendi præcepta, ſed duntaxat circa fingu-
aria negotia incidere ſuevit. Nam & naturalis juris
præcepta generalia plana ſunt: & qui leges poſitivas
ert, id ante omnia agere ſolet & debet, ut illæ ſub-
ectis innoteſcant. Unde citra ſupinam negligentiam
eic error non naſcitur. Sed in ſingularibus negotiis
acile eſt, ut error invito & præter culpam obrepat
irca objectum, aliâſque actionis circumſtantias.

§. 8. Ubi vero ſimpliciter cognitio abeſt, vocatur
ignorantia. Quæ duplici modo conſideratur; uno,
prout ad actionem aliquid confert; altero, prout in-
vito, aut non citra culpam oborta fuit. Priori reſpectu
ignorantia ſolet dividi in *efficacem* & *concomitantem*. Illa
eſt, quæ ſi abfuiſſet, præſens actio non fuiſſet ſuſcepta.
Hæc eſt, quæ licet abfuiſſet, nihilominus actio ſuſcepta
fuiſſet. Poſteriori reſpectu ignorantia eſt *voluntaria*,
vel *involuntaria*. Illa eſt, quam quis vel ultro affecta-
vit, rejectis veri cognoſcendi mediis, aut debita dili-
gentia non adhibita obrepere ſibi paſſus eſt. Hæc eſt,
quando quis ignorat, quæ nec ſcire poterat, nec tene-
batur. Et hæc iterum *duplex* eſt. Vel enim quis in
præſens quidem ignorantiam exuere non potuit, ut
tamen in culpa ſit, quare in tali ſtatu verſetur. Vel
non ſolum in præſens ignorantiam vincere nequit, ſed
& in culpa non eſt, quare ad talem conditionem ſit
devolutus.

§. 9. Altera facultas, quæ in homine præ brutis peculiariter cernitur, *voluntas* vocatur; per quam velut intrinseco impulsu ad agendum sese homo movet, & eligit, quod sibi maxime arridet, aversatur, quod sibi non convenire videtur. Habet igitur homo a voluntate, tum quod *sponte* agat, i. e. ut per non intrinsecam aliquam necessitatem ad agendum determinetur, sed actionis suæ ipse autor sit: tum ut *libere* agat, i. e. ut uno objecto proposito possit agere vel non agere, idemque eligere vel respuere; aut pluribus objectis propositis unum eligere, cætera respuere. Porro cum actionum humanarum quædam propter se suscipiantur, quædam quatenus ad aliud consequendum inserviunt, i. e. quædam rationem *finis*, quædam *mediorum* habeant: circa finem quidem ita voluntas versatur, ut eum cognitum primo adprobet, dein ad eundem consequendum efficaciter sese moveat, & velut ad eum tendat, vehementius aut remissius; eoque obtento adquiescat, placideque fruatur. Media autem primo probantur, tum quæ maxime idonea fuerint visa eliguntur, ac demum usui adplicantur.

§. 10. Quemadmodum autem hoc maxime nomine homo actionum suarum autor habetur, quia ipse voluntario eas suscepit: ita circa voluntatem id cum primis observandum, ejus spontaneitatem utique asserendam esse saltem circa illas actiones, de quibus ab homine in foro humano ratio solet exigi. Ubi autem homini nihil plane spontaneitatis relinquitur, ibi non ipse homo, sed qui eidem necessitatem adfert, autor habebitur actionis; ad quam homo invitus membra vireſq; suas accommodat.

§. 11. Porro quanquam voluntas bonum in genere semper adpetat, & malum in genere averſetur: magna tamen inter singulos homines tum adpetituum tum actionum cernitur varietas. Idque inde provenit, quod non omnia bona & mala homini velut pura adpareant, sed invicem mixta, bona malis, mala bonis. Et quia diversa objecta diversas velut partes in homine peculiariter afficiunt, v. g. quædam æstimationem illam, quam

quam homo de ſe ipſo habet, quædam ſenſus ejus exteriores, quædam amorem ſui, quo ſeipſum conſervare ſtudet. Ex quo eſt, quod illa quidem homo adprehendat tanquam *decora*, iſta tanquam *jucunda*, hæc tanquam *utilia*. Et prout quodque horum validum motum homini impreſſit, ita eundem quoque verſus ſe peculiariter propendere facit. Cui accedit in pleriſque hominibus ad certa quædam peculiaris inclinatio, aut à certis averſatio. Hinc fit, ut circa quamlibet fere actionem ſeſe ſimul offerant ſpecies bonorum & malorum, verorum aut adparentium, ad quas ſolide diſcernendas aliis major, aliis minor eſt perſpicacia. Inde mirum non eſt, unum in id ferri, abs quo alter maxime abhorret.

§. 12. Sed nec ſemper voluntas hominis circa quamlibet actionem velut in æquilibrio poſita deprehenditur, ſic ut inclinatio in hanc aut illam partem unice ab impulſu ejuſdem intrinſeco poſt mature perpenſa omnia proveniat: ſed frequentiſſime per extrinſeca velut momenta verſus unam magis quam alteram partem homo propellitur. Ut enim prætereamus communem illam mortalium in prava proclivitatem, cujus originem atque indolem alterius fori eſt excutere; primo voluntati ſingularem quandam vergentiam conciliat *peculiaris ingenii diſpoſitio*, qua ad certum genus actionis aliqui valde proclives redduntur. Quæ non in ſingulis tantum hominibus, ſed & integris in nationibus deprehenditur. Eam autem producere videtur cœli nos ambientis, ſolique genius, humorum in corporibus temperatura ex ipſo ſemine, ætate, victu, valetudine, ſtudiorum ratione, ſimilibuſque cauſis proveniens; item conformatio organorum, queis animus ad functiones ſuas obeundas utitur, & ſimilia. Ubi notandum, præterquam quod homo abhibita cura temperamentum ſuum non parum retundere & alterare poſſit; quantacunq; etiam vis eidem tribuatur, non tamen eouſque illa valere judicanda eſt, ut hominem neceſſario in violationem legis naturalis rapiat, quouſque hæc in foro humano exercetur; ubi pravæ cupidines, intra actum exterio-

rem ſubſiſtentes, non attenduntur. Adeoque ſi vel maxime natura recurrat, furcâ licet expulſa; id tamen prohiberi poteſt, ne exteriores actiones vitioſas producat. Et quæ in ſuperanda ejuſmodi inclinatione occurrit difficultas, illam ſplendor laudis penſat, quæ heic victorem manet. Quod ſi autem ejuſmodi ſtimuli animum concutiant, quos nulla ratio, quo minus erumpant, reprimere poteſt; via tamen eſt, ut citra peccatum velut depleri queant.

§. 13. Valde quoque in certas actiones voluntatem inclinat frequens ejuſdem generis actionum repetitio, ex qua enata proclivitas *conſuetudo* vocatur. Per hanc quippe efficitur, ut libenter & expedite actio aliqua ſuſcipiatur, ſic ut objecto præſente in id velut trahi animus videatur, aut idem abſens vehementiſſime deſideret. De qua id obſervandum; uti nulla videtur eſſe adſuetudo, quin eam adhibita diligentia iterum exuere poſſit homo: ita nulla quoque animum eouſque detorquere valet, ut non exterioribus ſaltem actibus, in quos illa rapitur, heic & nunc cohibendis par homo ſit. Et quia penes hominem fuit ejuſmodi aſſuetudinem contrahere: inde utut hæc actiones facilitet, tamen neque inde bonarum actionum pretio aliquid decedit, neque pravarum malitia redditur levior. Quin uti bona aſſuetudo hominis laudem, ita prava ejuſdem turpitudinem intendit.

§. 14. Plurimum quoque intereſt, an placida tranquillitas animo conſtet; an vero idem peculiaribus motibus, quos *affectus* vocant, concutiatur. Circa quos illud tenendum; quantumcunque vehementes iſti ſint; tamen debito rationis uſu hominem iiſdem ſuperiorem eſſe poſſe, ipſorumque impetum ſaltem intra ultimum actum ſiſtere. Cum autem affectuum alii excitentur ſpecie boni, alii ſpecie mali, & ſtimulent, vel ad adquirendum aliquod gratum, vel declinandum moleſtum: naturæ humanæ congruens eſt, ut hos, quam illos, plus favoris aut veniæ mortales inter comitetur, eoque magis, quo infeſtius & intolerabilius fuit malum, quod eos excitavit. Longe quippe tolerabilius

bilius habetur carere bono, ad naturæ conſervationem non adeo neceſſario, quam excipere malum, ad naturæ deſtructionem tendens.

§. 15. Denique uti dantur certi *morbi*, qui uſum rationis in perpetuum, aut ad tempus plane tollunt: ita multas apud nationes frequens eſt, homines ſibi ultro arceſſere morbi quoddam genus brevi tranſiens, uſum rationis non parum perturbans. Quo innumus *ebrietatem*, ex certis potulentorum generibus, ac quibuſdam fumis provenientem; quæ violento motu ſanguinem ac ſpiritus impellit & turbat, ac ad libidinem imprimis, iram, temeritatem & enormem lætitiam homines proclives reddit; ſic ut multi velut extra ſe per ebrietatem rapti videantur, & diverſum plane genium induiſſe, quam quo ſobrii conſpiciebantur. Hæc tamen uti non ſemper omnem uſum rationis ſequeſtrat; ita quatenus ultro arceſſita eſt, odium potius quam favorem actionibus per eandem ſuſceptis conciliare apta eſt.

§. 16. Porro actiones humanæ uti *voluntariæ* ſolent vocari, quatenus à voluntate proficiſcuntur & diriguntur: ita ſi quæ reluctante voluntate ſcienter ſuſcipiuntur, *invitæ* adpellantur, preſſius ſumpto hocce vocabulo. Nam latius id acceptum etiam illas comprehendit, quæ per *ignorantiam* patrantur. Invitum autem nobis hoc loco idem notat, quod *coactum*; quando nempe quis ab extrinſeco principio validiore adigitur membra ſua adplicare, ita ut averſationem & diſſenſum ſuum ſignis ac præcipue renitentia corporis ſignificet. Minus autem proprie invita & illa dicuntur, quando incumbente graviore neceſſitate aliquid tanquam minus malum eligitur, & ſuſcipitur, abs quo alias homo extra neceſſitatem conſtitutus vehementer abhorrebat. Quales actiones vulgo *mixtas* vocant. Hæ cum ſpontaneis illud habent commune, quod voluntas pro præſenti ſtatu eas utique eligat tanquam minus malum. Cum invitis autem aliquatenus quoad effectum conveniunt, quod vel plane non, vel non ita graviter, uti ſpontaneæ, ſoleant agenti imputari.

rem ſubſiſtentes, non attenduntur. Adeoque ſi vel maxime natura recurrat, furcâ licet expulſa; id tamen prohiberi poteſt, ne exteriores actiones vitioſas producat. Et quæ in ſuperanda ejuſmodi inclinatione occurrit difficultas, illam ſplendor laudis penſat, quæ heic victorem manet. Quod ſi autem ejuſmodi ſtimuli animum concutiant, quos nulla ratio, quo minus erumpant, reprimere poteſt; via tamen eſt, ut citra peccatum velut deleri queant.

§. 13. Valde quoque in certas actiones voluntatem inclinat frequens ejuſdem generis actionum repetitio, ex qua enata proclivitas *conſuetudo* vocatur. Per hanc quippe efficitur, ut libenter & expedite actio aliqua ſuſcipiatur, ſic ut objecto præſente in id velut trahi animus videatur, aut idem abſens vehementiſſime deſideret. De qua id obſervandum; uti nulla videtur eſſe adſuetudo, quin eam adhibita diligentia iterum exuere poſſit homo: ita nulla quoque animum eouſque detorquere valet, ut non exterioribus ſaltem actibus, in quos illa rapitur, heic & nunc cohibendis par homo ſit. Et quia penes hominem fuit ejuſmodi aſſuetudinem contrahere: inde utut hæc actiones facilitet, tamen neque inde bonarum actionum pretio aliquid decedit, neque pravarum malitia redditur levior. Quin uti bona aſſuetudo hominis laudem, ita prava ejuſdem turpitudinem intendit.

§. 14. Plurimum quoque intereſt, an placida tranquillitas animo conſtet; an vero idem peculiaribus motibus, quos *affectus* vocant, concutiatur. Circa quos illud tenendum; quantumcunque vehementes iſti ſint; tamen debito rationis uſu hominem iiſdem ſuperiorem eſſe poſſe, ipſorumque impetum ſaltem intra ultimum actum ſiſtere. Cum autem affectuum alii excitentur ſpecie boni, alii ſpecie mali, & ſtimulent, vel ad adquirendum aliquod gratum, vel declinandum moleſtum: naturæ humanæ congruens eſt, ut hos, quam illos, plus favoris aut veniæ mortales inter comitetur, eoque magis, quo infeſtius & intolerabilius fuit malum, quod eos excitavit. Longe quippe tolerabilius

bilius habetur carere bono, ad naturæ conſervationem non adeo neceſſario, quam excipere malum, ad naturæ deſtructionem tendens.

§. 15. Denique uti dantur certi *morbi*, qui uſum rationis in perpetuum, aut ad tempus plane tollunt: ita multas apud nationes frequens eſt, homines ſibi ultro arceſſere morbi quoddam genus brevi tranſiens, uſum rationis non parum perturbans. Quo innumus *ebrietatem*, ex certis potulentorum generibus, ac quibuſdam fumis provenientem; quæ violento motu ſanguinem ac ſpiritus impellit & turbat, ac ad libidinem imprimis, iram, temeritatem & enormem lætitiam homines proclives reddit; ſic ut multi velut extra ſe per ebrietatem rapti videantur, & diverſum plane genium induiſſe, quam quo ſobrii conſpiciebantur. Hæc tamen uti non ſemper omnem uſum rationis ſequeſtrat; ita quatenus ultro arceſſita eſt, odium potius quam favorem actionibus per eandem ſuſceptis conciliare apta eſt.

§. 16. Porro actiones humanæ uti *voluntariæ* ſolent vocari, quatenus à voluntate proficiſcuntur & diriguntur: ita ſi quæ reluctante voluntate ſcienter ſuſcipiuntur, *invitæ* adpellantur, preſſius ſumpto hocce vocabulo. Nam latius id acceptum etiam illas comprehendit, quæ per *ignorantiam* patrantur. Invitum autem nobis hoc loco idem notat, quod *coactum*; quando nempe quis ab extrinſeco principio validiore adigitur membra ſua adplicare, ita ut averſationem & diſſenſum ſuum ſignis ac præcipue renitentia corporis ſignificet. Minus autem proprie invita & illa dicuntur, quando incumbente graviore neceſſitate aliquid tanquam minus malum eligitur, & ſuſcipitur, abs quo alias homo extra neceſſitatem conſtitutus vehementer abhorrebat. Quales actiones vulgo *mixtas* vocant. Hæ cum ſpontaneis illud habent commune, quod voluntas pro præſenti ſtatu eas utique eligat tanquam minus malum. Cum invitis autem aliquatenus quoad effectum conveniunt, quod vel plane non, vel non ita graviter, uti ſpontaneæ, ſoleant agenti imputari.

§. 17. Cæterum actionum humanarum, quæ ab intellectu & voluntate proficiſcuntur & diriguntur, hæc eſt præcipua affectio, quod illæ homini poſſint *imputari*, ſeu quod homo pro earum autore recte poſſit haberi, ac ad reddendam de iiſdem rationem adſtringi; quodque in ipſum redundent effectus, qui ex iſtis proveniunt. Nulla enim propior ratio eſt, quare alicui actio quæpiam imputari poſſit, quam quia ab iſto ſciente & volente, mediate aut immediate, profecta eſt, ſeu quia penes ipſum fuit, ut fieret vel non fieret. Hinc axiomatis primarii loco in diſciplinis moralibus ad forum humanum ſpectantibus habetur; quod de illis actionibus rationem poſci queat homo, quæ ut fiant vel non fiant penes ipſum eſt. Seu quod eodem recidit; quod quælibet actio, directionis humanæ capax, quam penes aliquem eſt fieri vel non fieri, ipſi queat imputari. Sic & contra nemo pro autore ejus actionis haberi poteſt, quæ penes ipſum neque in ſe neque in ſua cauſa fuit.

§. 18. Ex hiſce præmiſſis aliquot particulares formabimus propoſitiones, unde conſtet, quid cuique imputari, ſeu cujus actionis, eventuſque autor quiſque poſſit haberi. I. Actiones ab alio patratæ, ut & operationes quarumvis aliarum rerum, nec non quivis eventus, non poſſunt alteri imputari, niſi quatenus ille poteſt & tenetur iſtas moderari. Nihil quippe eſt frequentius inter homines, quam ut uni commiſſum ſit alterius actiones dirigere. Heic igitur ſi actio aliqua ab altero ſit patrata, circa quam iſte omiſit, quod penes ſe erat; actio illa imputabitur non ſolum ei, qui immediate ipſam patravit, ſed etiam iſti, qui ex debita & poſſibili directione aliquid omiſit. Habet tamen ea res fere ſuum modum finemque ſic ut illud *poſſibile* cum aliquo velut temperamento & moraliter ſit intelligendum. Cum per quamcunque ſubjectionem unius ſub altero ſubjecti tamen libertas non extinguatur, quin alterius directioni reniti, & in diverſa tendere poſſit; nec vitæ humanæ indoles ferat, ut quis uni perpetuo velut affixus omnes iſtius motus obſervare queat,

queat. Igitur ſi quis omnia fecit, quæ directionis ſibi injunctæ natura ferebat, ubi nihilominus quid ab altero patratum fuit, patranti ſoli imputabitur. Sic poſtquam in animalia homines dominium exercent, quæ per illa in alterius detrimentum facta ſunt, domino imputabuntur, ſiquidem is ex debita cuſtodia & circumſpectione aliquid neglexit. Sic & quævis mala, quæ alteri obtingunt, imputari iſti poſſent, qui eorum cauſam & occaſionem, cum poſſet & deberet, non ſubtraxit. Sic cum multarum rerum naturalium operationes promovere aut ſuſpendere ſit penes homines, quod ab hiſce commodi vel damni datum ſit, iſtis imputabitur, quanti eorundem opera vel neglectus ad id momenti attulit. Aliquando etiam præter ordinem imputantur alicui eventus tales, qui alias ſupra humanam directionem ſunt, quatenus intuitu certi hominis iſtos divinum Numen peculiariter procuravit. Extra hoſce & ſimiles caſus ſufficit, ſi de propriis actionibus rationem quis poſſit reddere.

§. 19. II. Quæcunque in quolibet homine ſunt vel non ſunt, quæ penes ipſum non fuit, ut adeſſent vel non adeſſent, non poſſunt ipſi imputari, niſi quatenus per induſtriam naturalem defectum non ſupplevit, aut nativas vires non adjuvit. Sic cum perſpicaciam ingenii, vireſque corporis nemo ſibi præſtare poſſit, nemini quoque eo nomine imputari quid poterit, niſi quantum culturam adhibuit, aut adhibere neglexit. Sic non ruſtico, ſed urbano atque aulico horridi mores vitio vertuntur. Unde & valde abſurdæ ſunt judicandæ exprobrationes ejuſmodi qualitatum, quarum cauſa penes nos non fuit; v. g. brevis ſtaturæ, formæ parum felicis, & ſimilium.

§. 20. III. Quæ per ignorantiam invincibilem patrantur, imputari non poſſunt. Quia neque dirigere actionem poſſumus, ubi intellectus lumen non prælucet; & præſupponitur, tale lumen ſibi hominem non potuiſſe comparare, neque quo minus poſſet, in culpa fuiſſe. Quin & in vita communi τὸ *poſſe* moraliter accipitur pro illa facultate, ſolertia & circumſpectione, quæ

quæ vulgo sufficere judicatur, & quæ probabilibus rationibus subnixa fuit.

§. 21. IV. Ignorantia, ut & error, circa leges & officium cuique injunctum ab imputatione non liberat. Nam qui leges & officium alicui injungit, efficere solet & debet, ut in notitiam subjecti illæ perveniant. Et ad subjecti captum leges ac regulæ officii attemperari solent & debent, circa quas cognoscendas & retinendas quemlibet sollicitum esse oportet. Unde qui est causa ignorantiæ, respondere etiam tenebitur de iis actionibus, quæ ex illa ignorantia promanant.

§. 22. V. Cui occasio agendi citra suam culpam deest, illi non imputatur, quod non egerit. Videtur autem occasio quatuor hæcce complecti; ut objectum actionis sit in promptu; ut adsit commodus locus, ubi non possimus ab aliis impediri, aut malo aliquo multari; ut adsit oportunum tempus, quo non sint obeunda negotia magis necessaria, quodque item aliis, qui ad actionem concurrunt, sit oportunum; ut denique naturales agendi vires suppetant. Citra isthæc enim cum actio fieri nequeat, etiam absurdum fuerit, si alicui imputetur, ad quod agendum occasio defuit. Sic medicus segnitiæ non potest argui, si nemo ægrotet. Sic liberali esse non conceditur, qui ipse indiget. Sic talentum suum defodisse argui nequit, cui rite ambienti statio denegata fuit. Et cui multum datum fuit, ab eo multum repetetur. Sic non possumus simul sorbere & flare.

§. 23. VI. Non potest quoque alicui imputari, quod non præstiterit ea, quæ vires ipsius excedunt, neque per eas prohiberi aut effici possunt. Inde vulgo impossibilium nulla esse obligatio dicitur. Addendum tamen, modo quis sua culpa vires præstandi non detriverit, aut perdiderit. Hic enim eodem modo tractari potest, atque si vires adhuc obtineret; cum alias facilis esset via quamvis obligationem paulo laboriosiorem eludendi, ultro corruptis præstandi viribus.

§. 24. VII. Imputari quoque non possunt, quæ quis coacte patitur, aut agit. Talia enim amoliri aut de-

defugere ſupra ipſius vires poſitum intelligitur. Cogi autem dicimur duplici modo; uno, quando alius valentior per violentiam noſtra membra ad aliquid agendum aut patiendum adplicat: altero, ſi potentior grave aliquod malum cominus intentet, (idque ſtatim repræſentandi facultatem habeat,) niſi ultro nos ad aliquid faciendum moveamus, aut à faciendo abſtineamus. Tunc enim, niſi expreſſe obligemur, id quod alteri eſt inferendum noſtro malo redimere, is qui eam nobis neceſſitatem adfert, pro autore facinoris habebitur; nobis autem non magis factum iſtud imputari poterit, quam gladio aut ſecuri cædes.

§. 25. VIII. Eorum, qui rationis uſu deſtituuntur, actiones non imputantur. Quia quid agatur liquido dignoſcere, & ad normam comparare nequeunt. Et huc ſpectant actiones infantum, antequam uſus rationis paulo diſtinctius ſeſe incipiat exſerere. Quod enim iſti propter quaſdam actiones increpantur aut verberantur, id non ideo fit, quaſi in foro humano pœnam proprie dictam meriti ſint, ſed per modum nudæ emendationis, & diſciplinæ, ne per talia moleſtiam aliis faceſſant, aut ne pravam adſuetudinem contrahant. Sic & furioſorum, mente motorum & delirorum actiones pro humanis non habentur, quibus quidem citra ſuam culpam iſte morbus provenit.

§. 26. IX. Denique imputari non poſſunt, quæ quis in ſomniis agere ſibi videtur; niſi quatenus talibus interdiu cogitandis cum delectatione immoratus, eorum imagines animo alte impreſſit: etſi & hæc rariſſime in foro humano attendantur. Alias enim phantaſia in ſomno eſt veluti cymba ſine rectore fluitans, ſic ut penes hominem non ſit præſtare, qualia viſa iſthæc effingat.

§. 27. Circa imputationem autem actionum alterius paulo diſtinctius obſervandum, quod aliquando quidem contingat, ut actio ei, qui immediate eam patravit, plane non imputetur, ſed alteri, qui hoc tantum velut inſtrumento uſus eſt. Sed frequentius eſt, ut & ei, qui actionem patravit, & alteri, qui ad eandem agendo quid

quid vel omittendo concurrit, illa simul imputetur. Id quod fit triplici potissimum modo; vel ut alter principalis causa actionis, patrator minus principalis habeatur; vel ut uterque pari velut passu ambulet; vel ut alter minus principalis, patrator principalis causa sit. Ad primam classem pertinent, qui alterum autoritate sua ad quid permoverunt; qui consensum requisitum adhibuerunt, citra quem alter agere non poterat; qui poterant & debebant prohibere, & non fecerunt. Ad secundam classem pertinent, qui mandant, aut ad facinus patrandum conducunt; qui adjuvant; qui receptum & defensionem præstant; qui cum opem ferre injuriam patienti possent & deberent, non fecerunt. Ad tertiam classem referuntur, qui consilium speciale dant; qui laudant & assentantur ante patratum facinus: qui exemplo suo ad peccandum accendunt, & similes.

CAPUT II.

De Norma Actionum Humanarum, seu de Lege in genere.

§. 1. QUia actiones humanæ à voluntate dependent, voluntates autem singulorum non semper sibi similes, & diversorum in diversa fere tendere solent; igitur ad ordinem & decorem in genere humano constituendum necessarium fuit normam aliquam existere, ad quam istæ componerentur. Alias enim si in tanta voluntatis libertate, tantaque inclinationum & studiorum diversitate quisque citra reflexionem ad certam normam ageret, quod ipsi in mentem veniret, non poterat non maxima confusio in genere humano existere.

§. 2. Norma illa vocatur *Lex*, quæ est decretum, quo superior sibi subjectum obligat, ut ad istius præscriptum actiones suas componat.

§. 3. Hæc

§. 3. Hæc definitio ut eo melius intelligatur, evolvendum eſt, quid ſit obligatio; unde ea oriatur; quis obligationem recipere; & quis eandem alteri injungere queat. Vulgo igitur *obligatio* dicitur vinculum juris, quo neceſſitate adſtringimur alicujus rei præſtandæ. Scilicet injicitur per eam quaſi frænum aliquod noſtræ libertati, ut quamquam de facto voluntas in diverſum tendere queat; intrinſeco tamen per eandem velut ſenſu imbutam ſe deprehendat, ut, ni præſcriptæ normæ conformis ſit actio edita, non recte ſe egiſſe cogatur agnoſcere. Adeoque ſi quid mali eo nomine homini eveniat, non immerito id ſibi accidere judicet; cum normam prout par erat ſequenti iſtud evitaſſe licuerit.

§. 4. Quod autem *homo aptus ſit ad recipiendam obligationem*, duplex cauſa eſt: una quidem, quia is voluntatem habet, quæ ſeſe in diverſas partes flectere, adeoque & ad normam componere poteſt: altera, quia homo à poteſtate ſuperioris non eſt immunis. Nam ubi alicujus agentis vires per naturam ad uniformem agendi modum ſunt alligatæ, ibi libera actio fruſtra exſpectatur: iſtique incaſſum præſcribitur aliqua norma, qui eam neque intelligere, neque ad eandem ſeſe componere poteſt. Si quis autem non agnoſcat ſuperiorem, eo ipſo nemo exiſtit, qui neceſſitatem eidem jure queat injicere. Et ſi maxime is in agendo certam rationem obſervet, & à quibuſdam actionibus conſtanter abſtineat; id tamen non obligatione aliqua, ſed ex proprio beneplacito facere intelligitur. Sequitur ergo, ut ille obligationis ſit capax, qui & ſuperiorem habet, & normam præſcriptam poteſt cognoſcere, & voluntatem habet in diverſa flexilem; quæ tamen ubi norma per ſuperiorem fuerit præſcripta, ſentiat ſe ab ipſa non recte diſcedere. Quali natura hominem prædictum adparet.

§. 5. *Introducitur obligatio* in animum hominis *proprie à ſuperiore*, i. e. tali, cui non ſolum *vires* ſunt malum aliquod repræſentandi contranitentibus; ſed & cui *juſtæ* ſunt *cauſæ*, quare poſtulare queat, ex ſuo arbitrio

bitrio voluntatis noſtræ libertatem circumſcribi. Tali enim ubi in aliquo fuerint, poſtquam quid velit ſignificavit, neceſſum eſt in animo hominis oriri metum reverentia temperatum: illum quidem ex potentia, hanc autem ex conſideratione cauſarum, quæ etiam remoto metu allicere aliquem debebant ad iſtius voluntatem amplectendam. Qui enim nullam rationem allegare novit, quare mihi in vito obligationem velit impingere, præter ſolas vires, is terrere quidem me poteſt, ut effugiendo majori malo ipſi tantiſper parere ſatius ducam. Sed eo metu remoto nihil amplius obſtat, quo minus meo potius, quam illius arbitrio agam. Contra qui rationes quidem habet, quare ego ipſi parere debeam, à viribus tamen malum aliquod mihi imponendi deſtituitur, ejus juſſa impune à me poſſunt negligi, ni potentior aliquis hujus auctoritatem proculcatam adſertum eat. Rationes autem, quare quis recte poſtulare queat, ut ab altero ſibi obtemperetur, ſunt, ſi ab iſto in hunc inſignia quædam bona ſint profecta, ſi conſtiterit, iſtum & bene huic velle, & rectius, quam ipſe valet, eidem proſpicere poſſe, ſimulque ſi actu iſte hujus directionem ſibi vindicet; & denique ſi quis ultro alteri ſeſe ſubjecerit, & in ipſius directionem conſenſerit.

§. 6. Cæterum ut lex vim ſuam in animis eorum, quibus fertur, exſerere poſſit, requiritur *cognitio tum legiſlatoris, tum ipſius legis*. Nemo enim obedientiam præſtare valebit, ſi neque cui parere debeat, neque ad quod teneatur noverit. Et legiſlatoris quidem cognitio eſt facillima. Legum quippe naturalium eundem eſſe auctorem, qui univerſi, ex lumine rationis conſtat. Nec civis ignorare poteſt, quis in ipſum imperium obtineat. Leges porro naturales quomodo innoteſcant, paulo poſt exponetur. Civiles autem leges per *promulgationem* publice & perſpicue factam in ſubjectorum notitiam perveniunt. In qua de duobus conſtare debet; tum quod lex eum habeat auctorem, penes quem ſummum in civitate eſt imperium; tum quæ ſit legis ſententia. Prius cognoſcitur, ſi vel ipſe legem

ſuta

ſua voce promulget, vel autographo conſignet; vel ſi id fiat per ipſius delegatos. Quorum auctoritas fruſtra in dubium vocatur, ſi conſtet, hoc cum munere, quod in civitate gerunt, eſſe conjunctum, & ipſos regulariter ad idem adhiberi; ſi iſtæ leges in uſum judiciorum deducantur; ſi nihil contineant, quod ſummo imperio deroget. Ut autem ſententia legis recte percipiatur, promulgantibus incumbit quanta fieri poteſt perſpicuitate uti. Si quid in legibus obſcurum occurrat, ejus declaratio petenda abs legiſlatore, aut illis, qui ad jus ſecundum leges dicendum publice ſunt conſtituti.

§. 7. Cujuſlibet *legis perfectæ duæ partes* ſunt: una, per quam definitur quid ſit faciendum, quidvè omittendum: altera, per quam indicatur, quodnam malum ſit propoſitum ei, qui præceptum intermittit, & interdictum facit. Nam uti propter pravitatem ingenii humani, in vetita tendere amantis, ſupervacuum eſt dicere, *hoc fac*, ſi non facientem nil mali ſit manſurum: ita abſurdum eſt dicere, *pœnas dabis*, ni cauſa, quæ pœnam mereatur, præceſſerit. Sic igitur omnis vis legis conſiſtit in ſignificando eo, quid ſuperior à nobis fieri velit vel non velit, & quæ pœna violatoribus legis ſit conſtituta. Vis autem obliganda, i. e. intrinſecam neceſſitatem adferendi & vis cogendi, ſeu per pœnas ad obſervationem legum adigendi proprie eſt in legiſlatore, & cui legum cuſtodia atque exſecutio eſt commiſſa.

§. 8. Illud quod per leges alicui injungitur, debet non ſolum intra vires eſſe illius, cui leges feruntur, ſed & utilitatem aliquam afferre ſive illi ipſi, ſive aliis. Nam uti ſub comminatione pœnæ aliquid exigere velle ab aliquo, quod eſt & ſemper fuit ſupra ipſius vires poſitum, abſurdum & crudele fuerit: ita ſupervacuum eſt naturalem voluntatis libertatem conſtringere, ſi nulla in quenquam utilitas inde proveniat.

§. 9. Quanquam autem regulariter lex omnes legiſlatoris ſubditos complectatur, in quos materia legis quadrat, & quos legiſlator ab initio exemtos non voluit: interdum tamen contingit, ut ab obligatione

legis

legis aliquis peculiariter ſolvatur. Id quod *diſpenſare* vocant. Uti tamen diſpenſare ille tantum poteſt, cui legem ferendi & abrogandi poteſtas competit: ita cavendum, ne promiſcua, & citra graviſſimas cauſas facta diſpenſatione autoritas legum convellatur, & invidiæ atque indignationis inter ſubjectos anſa præbeatur.

§. 10. A diſpenſatione tamen multum differt *æquitas*, quæ eſt correctio ejus, in quo lex deficit ob univerſalitatem; ſeu dextra legis interpretatio, qua ex naturali ratione oſtenditur, caſum aliquem peculiarem ſub lege univerſali non comprehendi, eo quod aliàs abſurdi quid inde foret ſecuturum. Nam quia ob infinitam varietatem omnes caſus neque prævideri, neque exprimi poſſunt; ideo judices, quorum eſt generalia legum decreta ad ſpeciales caſus adplicare, debent à lege excipere ejuſmodi caſus, quos excepturus fuerat ipſe legiſlator, ſi præſens adeſſet, aut tales caſus prævidiſſet.

§. 11. Porro à relatione & congruentia ad normam moralem actiones humanæ certas ſortiuntur qualitates & denominationes. Et illæ quidem actiones, de quibus in neutram partem quid diſponit lex, vocantur *licitæ* ſive *permiſſæ*. Etſi quandoque in vita civili, ubi non omnia ad vivum poſſunt reſecari, illa etiam licita dicantur, in quæ pœna fori humani non eſt conſtituta, etſi in ſe honeſtati naturali repugnent. Quæ porro actiones cum lege congruunt, *bonæ*, quæ diſcrepant, *malæ* vocantur. Sed ut aliqua actio bona ſit, neceſſum eſt, ut ex omni parte cum lege congruat; ut mala ſit, ſufficit, ſi in una duntaxat parte deficiat.

§. 12. Juſtitia autem quandoque eſt attributum *actionum*, quandoque *perſonarum*. Quando *juſtitia perſonæ* tribuitur, ſolet vulgo definiri, quod ſit conſtans & perpetua voluntas ſuum cuique tribuendi. Juſtus quippe vir dicitur, qui juſta faciendo delectatur, qui juſtitiæ ſtudet, ſeu in omni re conatur facere id, quod juſtum eſt. Injuſtus contra, qui negligit cuique ſuum

ſuum tribuere, vel id non debito ſuo, ſed præſente commodo menſurandum exiſtimat. Sic ut juſti hominis non paucæ poſſint eſſe actiones injuſtæ, & vice verſa. Juſtus quippe juſta facit propter præceptum legis, injuſta non niſi per infirmitatem: injuſtus autem juſta facit propter pœnam legi adjunctam, injuſta per animi malitiam.

§. 13. Quando vero *juſtitia actionibus* tribuitur, tunc nihil aliud eſt, quam recta adplicatio earundem ad perſonam. Et juſta actio, quæ ex proæreſi, ſeu à ſciente & volente adplicatur ad perſonam, cui illa debetur. Sic ut juſtitia actionum à bonitate in hoc potiſſimum differat, quod hæc ſimpliciter notet convenientiam cum lege; juſtitia autem præterea involvat reſpectum ad eos, in quos actio exercetur. Quo nomine etiam juſtitia virtus adverſus alium dicitur.

§. 14. Juſtitiæ diviſionem non omnes eodem modo inſtituunt. Receptiſſima eſt diviſio in *univerſalem* & *particularem*. Illa dicitur, quando quodcunque officium exercetur erga alios, etiam quod per vim, aut intentata in foro actione exigi non poterat. Hæc autem eſt, quando alicui potiſſimum exhibentur, quæ ille ſuo jure poſtulare poterat; & hæc iterum ſolet dividi in *diſtributivam* & *commutativam*. Illa nititur pacto inter ſocietatem & membra inito circa participandum pro rata damnum & lucrum. Hæc autem nititur contractu bilatere potiſſimum circa res & actiones in commercium venientes.

§. 15. Cognito quid juſtitia ſit, facile etiam quid *injuſtitia* ſit colligitur. Ubi obſervandum, quod actio injuſta, quæ deſtinato ex conſilio ſuſcipitur, & per quam violatur, quod alteri perfecto jure debebatur, aut quod tali jure undecunque partum is poſſidebat, proprie *injuria* vocetur. Quæ triplici modo fit, vel ſi alicui denegetur, quod ſuo jure poſtulare poterat, (non ſi quid duntaxat ex humanitate aut ſimili virtute debebatur;) vel ſi auferatur, quod ſuo jure, adverſus auferentem valente, tenebat; vel ſi malum aliquod alteri inferatur, quod inferendi poteſtatem

non habebamus. Ad injuriam præterea requiritur deſtinatum conſilium, & malitia ejus, qui facit. Quæ ubi abfuerit, læſio alterius *infortunium* aut *culpa* vocatur, gravior aut levior, prout gravis aut levis fuerit ſocordia & negligentia, ex qua quis in alterum velut incurrit.

§. 16. Lex reſpectu auctoris dividitur in *divinam* & *humanam*; illa abs Deo, hæc ab hominibus lata eſt. Sed ſi lex conſideretur, prout neceſſariam & univerſalem congruentiam cum hominibus, vel minus, habet, dividitur in *naturalem* & *poſitivam*. Illa eſt, quæ cum rationali ac ſociali natura hominis ita congruit, ut humano generi honeſta & pacifica ſocietas citra eandem conſtare nequeat. Unde & illa per rationis homini congenitæ lumen, & ex conſideratione humanæ naturæ in univerſum inveſtigari & cognoſci poteſt. Hæc eſt, quæ ex communi conditione humanæ naturæ haud quidquam fluit, ſed abs ſolo legiſlatoris placito proficiſcitur: etſi nec ipſa ſua ratione, ac uſu, quem certis hominibus, aut peculiari ſocietati generat, carere debeat. Eſt autem *lex divina* alia *naturalis*, alia *poſitiva*. *Humana* autem omnis, preſſe accepta, *poſitiva* eſt.

CAPUT III.

De Lege Naturali.

§. 1. QUænam legis naturalis ſit indoles, quæ neceſſitas, & quibus eadem præceptis in iſthac mortalium conditione conſtet, planiſſime perſpicitur, ſi quis naturam & ingenium hominis penitius perſcrutatus fuerit. Sicuti enim ad accuratam legum civilium cognitionem plurimum facit, ſtatum civitatis, moreſque & ſtudia civium probe intellexiſſe: ita perſpecto communi mortalium ingenio, ſtatuque facile patebit, quibus legibus eorundem incolumitas contineatur.

§. 2. Id

§. 2. Id igitur homo habet commune cum omnibus animantibus, queis ſenſus ſui ineſt, ut ſeipſo nihil habeat carius, ſeipſum ſtudeat omnibus modis conſervare; ut quæ bona ſibi videntur adquirere, mala repellere nitatur. Qui quidem affectus regulariter tantus eſt, ut reliqui omnes eidem cedant. Et quicunque hominis ſalutem impugnatum it, eum non poteſt non iſte averſari eouſque, ut etiam depulſo malo intentato plerumque odium, & cupiditas vindictæ adhuc remaneat.

§. 3. Aſt in eo præ brutis homo deteriore jam conditione videtur, quod vix ullum aliud animal tanta à nativitate imbecillitas proſequatur; ſic ut miraculi ſit inſtar futurum, ſi quis ad maturam ætatem pervenerit, niſi aliorum hominum auxilium accedat. Cum nunc inter tot inventa humanæ neceſſitatis adminicula plurium annorum ſolicita informatio requiratur, ut proprio quis marte victum & amictum ſibi parare queat. Fingamus hominem, citra omnem ab aliis hominibus accedentem curam & culturam ad robuſtam ætatem provectum, cui nihil ſit ſcientiæ, niſi quod ex proprio ingenio velut ultro pullulavit, eundemq; ab omni aliorum hominum ope atq; conſortio in ſolitudine deſtitutum. Sane vix miſerabilius animal deprehendetur. Elingue nimirum ac nudum, cui nihil aliud relictum, quam herbas radiceſq; vellere, aut ſponte natos fructus legere, ſitim fonte, flumine, aut lacuna obvia levare, repellendis aëris injuriis antra ſubire, aut muſco graminéve corpus utcunq; tegere, tempus tædioſiſſimum per otium exigere, ad quemvis ſtrepitum aut alterius animantis occurſum exhorreſcere, deniq; fame, frigore, aut per feram beſtiam demum perire. Contra quidquid jam commoditatum vitam humanam comitatur, id omne ex mutua hominum ope redundavit. Sic ut poſt Deum O. M. nihil in hoc orbe ſit, ex quo major utilitas homini provenire queat, quam ex ipſo homine.

§. 4. Iſthoc tamen tam utile invicem animal non paucis laborat vitiis, & non minore nocendi facultate

præditum eſt; quæ conjunctionem cum ipſo reddunt ſatis ancipitem, magnamq; requirunt cautionem, ne pro bono malum quis ab illo ſortiatur. Jam primum major fere ad nocendum proclivitas in homine, quam in quovis brutorum deprehenditur. Nam bruta fere cibi deſiderio & Veneris efferantur, quorum utriq; tamen facili negotio ipſa ſatisfacere poſſunt. Et eo deſiderio ſopito non temere in iras aut ad lædendum alios concitantur, niſi quis irritaverit. Aſt homo animal eſt nullo non tempore in libidinem paratum, cujus ſtimulis longe frequentius vellicatur, quam conſervandæ ſpeciei neceſſarium videbatur. Ejuſdem quoq; venter non ſatiari duntaxat, ſed & titillari vult; & ſæpe plura adpetit, quam natura digerere valet. Veſtibus ne indigerent bruta natura proſpexit. Aſt homo non ad neceſſitatem tantum, ſed & ad oſtentationem veſtiri gaudet. Multi præterea affectus atq; cupidines, brutis ignoti, in mortalium genere deprehenduntur. Superflua habendi libido, avaritia, gloriæ & alios eminendi cupiditas, invidia, æmulatio, ingeniorumq; contentio. Indicio eſt, quod pleraque bella, quibus genus mortalium colliditur, ob cauſas gerantur brutis ignotas. Atque iſta omnia ſtimulare homines poſſunt & ſolent, ut ſibi mutuo nocere velint. Accedit in multis eximia quædam petulantia, & aliis inſultandi libido; quibus cæteri, etiam modeſto ingenio præditi, ſtudio ſe ac ſuam libertatem conſervandi, ac tuendi non poſſunt non offendi, ac ad reſiſtendum accingi. Quandoque etiam homines ad mutuas læſiones incitat inopia, & quod præſens rerum copia cupiditatibus aut indigentiæ eorum non ſufficiat.

§. 5. Sed & maxima vis ineſt hominibus ad noxas mutuo inferendas. Nam etſi neque dentibus, neque unguibus aut cornibus ſint formidabiles, ut multa brutorum: tamen habilitas manus in efficaciſſimum nocendi inſtrumentum evaleſcere poteſt; & ſolertia ingenii aſtu & per inſidias graſſandi facultatem dat, qua aperta vi pertingere non licet. Sic ut facillimum

ſit,

ſit, hominem homini graviſſimum malorum naturalium, nempe mortem, inferre.

§. 6. Denique & in genere humano conſideranda eſt inſignis illa ingeniorum varietas, qualis in ſingulis brutorum ſpeciebus non cernitur; quippe quæ conſimiles fere inclinationes habent, parique affectu & appetitu ducuntur. Aſt inter homines quot capita tot ſenſus, & ſuum cuique pulchrum. Nec ſimplici aut uniformi cupidine omnes agitantur, ſed multiplici & varie inter ſe mixto. Imo unus & idem homo ſæpe ſibi diſſimilis cernitur, & quod uno tempore concupivit, ab eodem alio tempore valde abhorret. Nec minor in ſtudiis, inſtitutis, & ad exſerendum animi vigorem inclinationibus varietas, quæ jam in infinitis fere vitæ generibus conſpicitur. Per quæ ne mutuo collidantur homines, ſolicita temperatura & moderatione opus eſt.

§. 7. Sic igitur homo jam eſt animal ſui conſervandi ſtudioſiſſimum, per ſe egenum, ſine auxilio ſui ſimilium ſervari impotens, ad mutua commoda promovenda maxime idoneum; idem tamen juxta malitioſum, petulans, & facile irritabile, ac ad noxam alteri inferendam pronum non minus quam validum. Unde colligitur, eidem ut ſit ſalvus, neceſſum eſſe ut ſi ſociabilis, i. e. ut cum ſui ſimilibus conjungatur, & adverſus illos ita ſe gerat, ut ne iſti probabilem cauſam accipiant eum lœdendi, ſed potius ejuſdem commoda ſervare & promovere velint.

§. 8 Hujus ergo ſocialitatis leges, ſeu quæ docent, quomodo quis ſeſe debeat gerere, ut commodum ſocietatis humanæ membrum exiſtat, vocantur *leges naturales.*

§. 9. His poſitis adparet, *fundamentalem legem naturalem* eſſe hanc: Cuilibet homini quantum in ſe colendam & ſervandam eſſe ſocialitatem. Ex quo conſequitur, quia qui vult finem, vult etiam media, ſine quibus finis obtineri nequit: omnia, quæ ad iſtam ſocialitatem neceſſario & in univerſum faciunt, jure naturali præcepta; quæ eandem turbant aut abrumpunt, vetita intelligi. Reliqua autem præcepta ſunt

tantum velut ſubſumtiones ſub hacce generali lege, quorum evidentiam lumen illud naturale hominibus inſitum inſinuat.

§. 10. Iſthæc porro præcepta etſi manifeſtam habeant utilitatem: tamen ut eadem vim legis obtineant, neceſſum eſt præſupponi, Deum eſſe, & ſua providentia omnia regere; eundemque mortalium generi injunxiſſe, ut iſta rationis dictamina tanquam leges, ab ipſo vi congeniti luminis, promulgatas, obſervent. Alias enim poſſent ea quidem fortaſſe obſervari intuitu utilitatis, ſicut quæ à medicis regendæ valetudini præſcribuntur, non autem tanquam leges; quippe quæ neceſſario ponunt ſuperiorem, & quidem talem, qui alterius gubernationem actu ſuſceperit.

§. 11. Eſſe autem Deum legis naturalis auctorem, ex ratione naturali ita demonſtratur, ſi præciſe præſenti mortalium conditioni inhæreamus, non attendendo, an primæva conditio diverſa ab hac fuerit, & unde iſta mutatio provenerit. Cum natura hominis ita ſit conſtituta, ut citra ſociabilem vitam humanum genus incolume eſſe nequeat, hominiſque animus notionum huc inſervientium capax deprehendatur; & vero pateat, non ſolum genus humanum, uti aliæ creaturæ, originem ſuam Deo debere, ſed & eundem iſtud utcumque jam conſtitutum providentiæ ſuæ moderamine complecti: inde conſequitur, Deum velle, ut homo iis viribus, quas ſibi præ brutis peculiares ineſſe ſentit, ad naturæ ſuæ incolumitatem utatur, utque adeo à brutorum exlege vita, humana vita ſit diſtincta. Id quod cum aliter, quam ſervata lege naturali obtineri nequeat; intelligitur quoque à Deo obligatum hominem ad iſthanc ſervandam, tanquam medium non ex arbitrio hominum inventum, ac ex eorum libidine mutabile, ſed expreſſe ab ipſo Deo huic fini procurando conſtitutum. Qui enim obligat ad finem, cenſetur quoque eundem obligaſſe ad uſurpanda media fini neceſſaria. Sed & ſocialem vitam à Deo hominibus pro imperio injunctam eſſe, indicio

indicio eſt, quod in nullo præterea animante ſenſus religionis, aut metus Numinis deprehendatur, qui in animali exlege intelligi non poſſe videtur. Abs quo generatur tener admodum ſenſus in animis hominum non plane corruptorum, quo convincuntur, in legem naturalem peccando offendi illum, cui in animos hominum imperium eſt, & qui metuendus ſit, etiam ubi ab hominibus metus non impendet.

§. 12. Quod vulgo dicitur, iſthanc legem naturæ notam eſſe, id non ita capiendum videtur, quaſi in animis hominum jam naſcentium inhæreant actuales & diſtinctæ propoſitiones circa agenda & fugienda. Sed partim quod illa per lumen rationis inveſtigari poſſit, partim quod ſaltem communia & præcipua capita legis naturalis ita plana & liquida ſint, ut ſtatim aſſenſum inveniant, & ita animis inoleſcant, ut nunquam inde iterum deleri queant, utut forte homo impius ad ſopiendas conſcientiæ vellicationes eorundem ſenſum plane ſtudeat extinguere. Quo nomine etiam in Sacris Literis cordibus hominum inſcripta dicitur. Inde & cum à puero ex vitæ civilis diſciplina eorundem ſenſu imbuamur; & vero recordari non poſſimus id tempus, quando primum eadem hauſerimus, non aliter de ea cognitione cogitamus, ac ſi illa nobis naſcentibus jam adfuiſſet. Id quod cuilibet etiam circa linguam ipſi vernaculam contingit.

§. 13. *Diviſio officiorum*, quæ ex lege naturali homini incumbunt, commodiſſime videtur inſtitui *ſecundum objecta*, erga quæ iſta ſunt exercenda. Quo intuitu illa in tres principales partes diſpeſcuntur; quarum prima tradit, quomodo ex ſolo rectæ rationis dictamine quis ſeſe debeat gerere adverſus *Deum*; altera quomodo adverſus *ſeipſum*; tertia quomodo adverſus *alios homines*. Quanquam autem primario & directe ea præcepta legis naturalis, quæ ad alios homines ſpectant, ex ſocialitate, quam fundamenti loco ſubſtravimus, deriventur: tamen etiam indirecte officia hominis erga Deum tanquam Creatorem inde deduci poſſunt, quatenus ultimum firmamentum officiis

erga alios homines à religione & metu Numinis accedit; ſic ut ſociabilis quoque non eſſet homo, ni religione foret imbutus. Et quia ſola ratio in religione ulterius progredi nequit, quam quouſque illa inſervit promovendæ tranquillitati & ſocialitati hujus vitæ. Nam prout religio ſalutem animarum procurat, ex peculiari revelatione divina provenit. Officia autem hominis erga ſeipſum ex religione & ſocialitate conjunctim promanant. Ideo enim quædam non pro abſoluto ſuo lubitu homo circa ſeipſum diſponere poteſt, partim ut cultor idoneus divini Numinis, partim ut commodum & utile membrum ſocietatis humanæ eſſe queat.

CAPUT. IV.

De Officio Hominis erga Deum, ſeu de Religione Naturali.

§. 1. OFficium hominis erga Deum, quantum quidem ex naturali ratione inveſtigari poteſt, *duabus* partibus abſolvitur: tum ut de Deo recte ſentiamus, tum ut actiones noſtras ad ipſius voluntatem componamus. Inde religio naturalis conſtat propoſitionibus tum *theoreticis*, tum *practicis*.

§. 2. Inter ea, quæ de Deo cuivis homini ſentienda ſunt, primum omnium eſt, ut certo perſuaſus ſit *Deum exiſtere*, i. e. revera dari ſummum aliquod & primum Ens, abs quo hoc univerſum dependeat. Id quod ſapientes ex ſubordinatione cauſarum, quæ demum in primo aliquo ſiſti volunt, ex motu, & ex comtemplatione machinæ hujus univerſi, & ſimilibus argumentis liquidiſſimo demonſtrarunt. Quæ ſi quis neget abs ſe capi poſſe, non ideo atheiſmi ſui excuſationem invenit. Cum enim univerſum genus humanum in perpetua velut poſſeſſione iſtius perſuaſionis fuerit; neceſſum erat, ſi quis eandem oppugnare velit, ut non ſolum omnia argumenta, quibus Deus eſſe probatur, ſolide deſtruat, ſed & plauſibiliores rationes pro aſſertione ſua proferat. Simulque cum generis humani ſalutem ea perſuaſione contineri hactenus creditum

creditum ſit, oſtendendum ipſi præterea fuerit, generi humano per atheiſmum melius conſuli, quam retento ſano cultu Numinis. Quod cum fieri nullo modo queat, omnium eorum, qui iſthanc convellere quocunque modo aggrediuntur, impietas maxime eſt deteſtanda, & graviſſimis pœnis coercenda.

§. 3. Alterum eſt, *Deum eſſe univerſi hujus conditorem.* Cum enim ex ratione manifeſtum ſit, iſthæc omnia non extitiſſe à ſeipſis, oportet ut eadem ſummam aliquam cauſam habeant. Quæ ipſa eſt id, quod Deum adpellamus. Ex quo conſequitur, falli eos, qui ſubinde *Naturam* tanquam ultimam omnium rerum & effectuum cauſam crepant. Nam ſi per id vocabulum intelligitur efficacia illa & vis agendi, quæ in rebus conſpicitur, illa ipſa utique autorem ſui, i. e. Deum arguit: tantum abeſt, ut ejus vis ad negandum Deum quid valere poſſit. Sin autem per Naturam intelligatur ſumma rerum omnium cauſa, ex profano quodam faſtidio defugitur plana & recepta Dei adpellatio. Errant quoque illi, qui credunt, Deum eſſe aliquid eorum, quæ in ſenſus incurrunt, & præcipue *ſidera.* Nam hæc omnia ſubſtantia ipſorum arguit non eſſe primum aliquod, ſed ab alio ortum. Nec minus indigne de Deo ſentiunt, qui eum *mundi animam* dicunt. Anima enim mundi, qualiſcunque illa demum ſit, partem mundi, notat. Pars autem rei quomodo ejuſdem cauſa, i. e. prius aliquid eſſe potuit? Quod ſi autem per animam mundi intelligatur primum illud & inviſibile, à quo omnium rerum vis & motus dependet, pro plano vocabulo obſcurum & figuratum nomen ſubſtituitur. Ex hoc ipſo quoque adparet, *mundum non eſſe æternum.* Id enim abhorret à natura ejus, quod cauſam habet. Et qui mundum æternum aſſerit, aliquam ejus cauſam negat, & ſic ipſum Deum negat.

§. 4. Tertium eſt, *Deum tum in univerſum mundum, tum in genus humanum regimen exercere.* Id quod ex admirabili & conſtanti ordine, qui in hoc vniverſo cernitur, liquido adparet. Quoad effectum autem moralem

moralem perinde est, utrum quis neget, Deum existere, an ab eodem humana curari; cum utrumque omnem religionem plane tollat. Frustra enim metuitur aut colitur, utut in se sit præstantissimus, qui nulla plane nostri cura tangitur, & nihil boni malique in nos vult aut potest conferre.

§. 5. Quartum est, *nullum attributum in Deum cadere, quod aliquam imperfectionem involvat.* Cum enim ille omnium rerum causa sit & origo, absurdum foret, creaturam ipsius aliquam sibi posse perfectionem animo concipere, quæ abs Deo abesset. Imo cum istius perfectio infinitis modis exsuperet captum tantillæ creaturæ, eandem terminis potius negativis quam positivis exprimere par erit. Inde Deo haudquaquam sunt tribuenda, quæ *finitum aut determinatum* quid notant; quia finito majus semper attribui potest. Et omnis determinatio ac figura terminos ac circumscriptionem involvit. Quin nec dicendus est distincte & plene comprehendi aut *concipi nostra imaginatione*, vel quacunque facultate animæ nostræ; quia quicquid animo distincte & plene concipere valemus, id finitum est. Neque vero ideo, quia Deum infinitum dicimus, ejus conceptum plenum animo tenemus: cum infinitum proprie non notet aliquid in ipsa re, sed impotentiam in animo nostro; ac si diceremus, non capere nos magnitudinem ejus essentiæ. Inde nec recte dicitur; quod *partes* habeat, aut sit *totum* aliquid; quia hæc attributa finitorum sunt. Neque quod *in loco* aliquo contineatur; quia hoc innuit fines & terminos magnitudinis. Neque quod *moveatur*, aut *quiescat*; utrumque enim supponit esse in loco. Sic nec Deo proprie attribui possunt, quæ *dolorem* aliquem aut *passionem* notant; (*proprie* dico. Nam ubi talia Deo attributa leguntur, id fit ἀνθρωποπαθῶς, pro effectu, non affectu:) ut est ira, pœnitentia, misericordia. Item, quæ *egestatem* & *absentiam* alicujus boni notant: ut est adpetitus, spes, concupiscentia, amor cupidinis. Nam hæc involvunt indigentiam, adeoque & imperfectionem: cum intelligi non possit, ut quis adpetat, sperет,

ſperet, cupiatvé, niſi quibus indiget, caretvé. Sic & quando Deo tribuitur *intellectus*, *voluntas*, *ſcientia*, & *actus ſenſuum*, viſio, auditio: illa longe ſublimiori modo ſunt capienda, quam quo nobis inſunt. Nam voluntas eſt adpetitus rationalis: adpetitus autem præſupponit abſentiam & indigentiam rei congruentis. Et intellectio ac ſenſus in hominibus involvit paſſionem per objecta in organa corporis, & potentias animæ impreſſam. Quod eſt indicium potentiæ ab alio dependentis, & conſequenter non perfectiſſimæ. Denique & illud à perfectione divina abhorret, ſi dicantur *plures uno Dii*. Nam præterquam quod admiranda mundi harmonia unum duntaxat ejus moderatorem arguit, etiam finitus tunc foret Deus, ſi plures eſſent paris poteſtatis ab ipſo non dependentes. Sic ut contradictionem involvat, plura dari infinita. Quæ cum ita ſint, maxime rationi congruum eſt, circa attributa Dei utcunque exprimenda uti nominibus vel *negativis*, ut infinitus, incomprehenſibilis, immenſus, æternus, i. e. principio & fine carens: vel *ſuperlativis*, ut optimus, maximus, potentiſſimus, ſapientiſſimus, &c. vel *indefinitis*, ut bonus, juſtus, creator, rex, dominus, &c. eo ſenſu ut non tam velimus, quid ſit, diſtincte dicere, quam noſtram admirationem & obedientiam qualicunque expreſſione profiteri; quod eſt ſignum animi humilis, & animi honorantis quantum poteſt.

§. 6 Propoſitiones *practicæ* religionis naturalis verſantur partim *circa internum*, partim *circa externum cultum Dei*. *Internus cultus* Dei conſiſtit *in* ejus *honore*. Honor autem eſt opinio alienæ potentiæ conjunctæ cum bonitate. Debet ſcilicet animus hominis ex conſideratione potentiæ & bonitatis Dei quantam poteſt animo venerationem adverſus ipſum concipere. Ex quo fluit, ut eundem debeat *amare*, tanquam omnis boni autorem & datorem; in eum *ſperare*, tanquam abs quo in futurum quoque omnis noſtra felicitas dependeat; ejus voluntate *adquieſcere*, tanquam qui pro ſua bonitate omnia optime faciat, no-

nobiſque det, quæ maxime expediunt; eum *timere*, tanquam potentiſſimum, & cujus offenſa maximum ſit malum conciliare apta; ei denique in omnibus humillime *obſequi* tanquam creatori, domino ac rectori optimo maximo.

§. 7. *Externus* Dei *cultus* in hiſce potiſſimum conſiſtit, ut homo Deo *gratias agat* pro tot bonis ab eo acceptis. Ut ipſius voluntatem per actiones ſuas, quantum fieri poteſt, exprimat, ſeu ei *obtemperet*. Ut ejus magnitudinem *admiretur* & *celebret*. Ut *preces* ad ipſum *fundat* pro obtinendis bonis & averruncandis malis; preces enim ſunt ſigna ſpei, ſpes vero bonitatis & potentiæ divinæ agnitio eſt. Ut ſi res tulerit per ſolum Deum *juret* & juramentum religioſiſſime obſervet. hoc enim poſtulat omniſcientia & potentia Dei. Ut de Deo *conſiderate loquatur*: id enim eſt ſignum timoris; timor autem potentiæ confeſſio eſt. Ex quo conſequitur, *non eſſe utendum Dei nomine temere & fruſtra*; utrumque enim inconſideratum. *Non eſſe jurandum, ubi non eſt opus*; eſt enim fruſtra. *Non eſſ curioſe & petulanter diſputandum circa naturam & gubernationem Dei:* ex hoc enim nihil aliud ſequitur, quam ut Deum exigere velimus ad modulum noſtræ rationis. Item ut *quicquid Deo præſtandum eſt, in ſuo genere ſit eximium, & honorem exprimere aptum.* Item, ut *homo Deum non ſolum ſecreto, ſed & palam & publice in conſpectu hominum colat.* Occultare enim aliquid eſt, quaſi quis eo exercendo erubeſceret. Contra publicus cultus non ſolum de noſtra devotione teſtatur, ſed & alios exemplo incitat. Denique ut *ſummo conatu leges naturales obſervet.* Nam uti imperium Dei parvi pendere ſuperat omnes contumelias; ita è contrario omnibus ſacrificiis eſt acceptior obedientia.

§. 8 Enimvero id certum eſt, effectum hujus religionis naturalis, præciſe & pro præſenti hominum conditione conſideratæ, intra ſphæram hujus vitæ terminari: ad æternam autem ſalutem nanciſcendam nequaquam valere. Ratio quippe humana ſibi relicta jam ignorat, pravitatem, quæ in facultatibus & incli-

clinationibus hominis cernitur per culpam humanam proveniſſe, Deique offenſam & æternum exitium mereri: eoque & neceſſitas Salvatoris, ejuſque officium & meritum, nec non promiſſa Dei humano generi facta, & quæ alia inde dependent, eandem latent: per quæ ſola ſalutem æternam hominibus provenire, ex divinis literis conſtat.

§. 9 Operæ pretium porro fuerit paulo diſtinctius expendiſſe uſum, quem in vita humana religio gignit; ut conſtet, *eam revera eſſe ultimum & firmiſſimum humanæ ſocietatis vinculum.* Nam in libertate naturali, ſi metum divini Numinis removeas, ubi quis propriis viribus fiſus fuerit, quælibet imbecillioribus pro libitu inferet, ac honeſtatem, pudorem, fidem inter inania vocabula reputabit, nec ad recte faciendum aliter, quam ſenſu propriæ imbecillitatis adigetur. Porro, religione remota, civitatum firmitas intrinſeca ſemper in incerto foret, ac ad cives in officio continendos haudquidquam ſufficeret metus temporalis pœnæ, fides ſuperioribus data, ejuſque ſervandæ gloria, & gratitudo, quod ope ſummi imperii à miſeriis ſtatus naturalis defendantur. Tunc enim revera locum haberet; qui mori ſcit, cogi neſcit: quippe cum Deum non metuentibus nihil magis quam mors metui poſſit. Huic contemnendæ qui ſufficeret, in imperantes quævis tentare poſſet. Ut autem id vellet, vix cauſa defutura foret; puta ut declinaret incommoda, quæ ſibi ab alterius imperio videntur incumbere; aut ut ipſe potiretur commodis, quæ imperij poſſeſſorem comitantur. Præſertim cum facile judicare poſſit, jure ſe id facere, vel quod, qui in præſens rerum potitur, prave remp. videatur gerere, vel quod ipſe longe melius imperaturum ſeſe ſperet. Occaſio autem ad talia tentanda facile offerri poſſet, rege vitam ſuam non ſatis caute circumſepiente, (& quis tali rerum ſtatu cuſtodes ipſos cuſtodiet?) vel multis conſpirantibus, vel bello externo ingruente adſcitis in partes hoſtibus. Præterea cives ad injurias mutuo inferendas futuri eſſent proniſſimi. Cum enim in foro civili pro-

pronuncietur ſecundum acta & probata, omnia ſcelera & flagitia, ex quibus lucrum provenire aptum eſt, ſi occulte patrari & ſine arbitris poſſent, pro dexteritate ingenii, in qua placere ſibi quis poſſet, haberentur. Nemo quoque opera miſericordiæ aut amicitiæ foret exerciturus, niſi gloriæ aut emolumenti explorata ſpe. Ex quo & illud conſequeretur, ut dum nemo in alterius fide, remotis pœnis divinis, ſolidam fiduciam collocare poſſet, ſinguli perpetuo metu & ſuſpicionibus anxii viverent, ne ab aliis deciperentur, aut læderentur. Sed & tam imperantes quam ſubjecti parum proclives futuri eſſent ad præclara & gloriosa opera patranda. Nam imperantes, nullo conſcientiæ vinculo conſtricti, omnia munia, ipſamque juſtitiam venalia eſſent habituri, & in omnibus privatum commodum quæſituri cum oppreſſione civium: à quorum rebellione uti ſibi ſemper metuerent; ita ſuam ſalutem unice in eo poſitam intelligerent, ut iſtos quam maxime enerves redderent. Cives contra, oppreſſionem imperantium formidantes, nunquam non circumſpecturi forent occaſiones rebellandi; nec minus tamen ipſi inter ſe diffiſuri, ſeque mutuo formidaturi erant. Quin & conjuges, oborta vel levi querela, ſe invicem eſſent ſuſpectaturi, ne veneno, aut alio clandeſtino modo necarentur. Par periculum à familia immineret. Cum enim ſine religione nulla quoque futura foret conſcientia, non facile eſſet occulta ejuſmodi ſcelera deprehendere; quippe quæ plerumque per inquietudinem conſcientiæ, & terrores, in exteriora indicia erumpentes, prodantur. Unde adparet, quantopere interſit generis humani, atheiſmo omnes vias, ne invaleſcat, præcludere; ſimulque quanta vecordia eos agitet, qui ad opinionem prudentiæ politicæ conciliandam facere autument, ſi in impietatem proclives videantur.

CAP.

CAPUT V.

De Officio Hominis erga ſeipſum.

§. 1. QUanquam hominem amor ſui penitus infixus ſubigat, ſolicitam ſui curam agere, ſuaque commoda omnibus modis procurare, ſic ut hoc intuitu aliquam obligationem comminiſci ſupervacuum videatur; alio tamen reſpectu homo utique certa quædam circa ſeipſum obſervare tenetur. Cum enim non ſibi ſoli ſit natus homo, ſed ideo tam eximiis dotibus à Creatore ſit ornatus, ut & ipſius gloriam celebret, & idoneum ſocietatis humanæ membrum exiſtat: inde ita ſeſe componere homo tenetur, ut ne dona Creatoris incultu perire patiatur, & ad ſocietatem humanam aliquid pro virili conferat. Sic etſi ſua cuique ruditas maximo ſit probro & damno: recte tamen à magiſtro vapulat diſcipulus, ſi, quarum capax erat, artes addiſcere negligat.

§. 2. Porro cum homo conſtet duabus partibus, *anima* & *corpore*, quarum illa rectoris, hoc miniſtri aut inſtrumenti vicem ſubit, ſic ut animi imperio, corporis ſervitio magis utamur: utriuſque quidem cura, ſed illius tamen præcipue agenda. Et *animus* quidem ante omnia ad commode tolerandam vitam ſocialem eſt formandus, officiique & honeſti ſenſu & amore imbuendus. Tum pro cujusque capacitate & fortuna aliquid addiſcendum ne quis inutile terræ pondus ſit, ſibi inutilis, aliis moleſtus. Sed & tempeſtive eligendum honeſtum vitæ genus, prout impulſus genii, corporis atque ingenii habilitas, natalium conditio, fortunæ bona, parentum autoritas, imperantium civilium juſſa, occaſio, aut neceſſitas fert.

§. 3. Cum autem animus fulturis *corporis* ſuſtineatur, inde vires ejus congruentibus alimentis ac laboribus erunt firmandæ & conſervandæ, nec intemperantia cibi potuſque, intempeſtivo ac non neceſſario labore, aliavè

ratione

ratione affligendæ. Quo nomine vitanda ingluvies, ebrietas, immodica venus, & similia. Cum etiam inordinati & vehementes affectus non solum ad perturbandam societatem stimulos moveant, sed & ipsi homini plurimum noceant: inde danda opera, ut quis affectus suos quantum fieri potest compescat. Et quia multa pericula repelli possunt, ubi animose iis obviam eatur, mollities animi ejicienda, idemque contra periculorum terrores obfirmandus.

§. 4. Quia autem nemo sibi ipse vitam dedit, sed illa pro Dei beneficio est habenda: adparet quoque homini nequidquam competere potestatem in propriam vitam hactenus, ut eandem pro lubitu possit abrumpere; sed exspectandum utique esse, quoad quis evocetur ab eo, qui nos in hacce statione collocavit. Equidem id utique recte fieri posse videtur, cum homo possit & debeat sua opera aliis inservire & vero certum genus laborum, aut eorum intensio vires hominis ita atterat, ut senium vitæque terminus maturius ingruat, quam si quis molliter ætatem exegisset; ut quis eligat probabilem occasionem brevioris vitæ, quo talenti sui usum aliis eo largius dispenset. Sed & cum sæpe multorum vita servari nequeat, nisi pro iis alii probabili sese vitæ periculo exponant; per imperantem legitimum posse civi sub comminatione gravissimarum pœnarum injungi, ne ejusmodi periculum fuga declinet. Imo & ultro tale periculum subire licebit, modo graviores causæ non retraham, & spes sit isthoc in aliorum salutem cessurum; & hi digni sint, qui tam care redimantur. Nam id stolidum fuerit, alteri perituro frustra sese comitem addere, aut egregium virum pro nauci homine mortem oppetere. De cætero tamen per legem naturæ haud quidquam præcipi videtur, ut quivis cujusvis alterius vitam suæ vitæ præferat; sed cæteris paribus sibi quisque proximus esse permittitur. Ast vero, qui vel tædio molestiarum, quæ vitam humanam communiter comitantur, vel indignatione malorum quæ humanæ ipsos societati erubescendos non erant redditura,

tura, vel metu dolorum, queis fortiter toleratis exemplo ſuo prodeſſe aliis poterant, vel per vanam jactantiam fidei aut fortitudinis vitam ultro abrumpunt & projiciunt, utique in legem naturalem peccare ſunt cenſendi.

§. 5. Cæterum quia ſæpenumero conſervatio ſui, quam & tenerrimus affectus, & ratio homini commendat, cum præcepto de ſocialitate collidi videtur, dum nempe ſalus noſtra ab alio homine in periculum conjicitur, ſic ut aut nobis ſit pereundum, vel grave incommodum ſubeundum, aut alter cum læſione propulſandus: igitur quali cum *moderamine defenſio noſtri contra alios homines ſit temperanda* jam tradendum. Inſtituitur igitur defenſio noſtri vel *ſine læſione* ejus, abs quo malum nobis imminebat, dum efficimus, ut ei anceps aut formidoloſa noſtri invaſio videatur; vel *cum iſtius læſione* aut pernicie. Prior modus quin ſit licitus, omnique peccato vacet, dubium non habet.

§. 6. Enimvero circa poſteriorem modum ſcrupulus moveri poteſt; quod parem jacturam videatur facere genus humanum occiſo invaſore, quam ſi ipſe peream; & quod utique perdendus ſit mei ſimilis, quicum ad colendam vitam ſocialem adſtringor. Et quod majores turbas videatur parere violenta defenſio, quam ſi vel fugam arripiam, vel corpus patienter invaſori præbeam. Verum iſta hoc defenſionis genus haut-quidquam faciunt illicitum. Nam ut adverſus aliquem pacifice & amice agam, requiritur, ut ipſe ſe talem erga me præbeat, qui ejuſmodi officia à me recipere idoneus ſit. Et quia ſocialitatis lex ad ſalutem mortalium ſpectat, ideo ejuſdem talis eſt facienda interpretatio, quæ ſingulorum ſalutem non peſſumdet. Inde ubi alter exitio meo imminet, nulla eſt lex, quæ meam me ſalutem prodere jubeat, ut alterius malitia impune graſſari queat. Et qui ex tali occaſione læditur aut occiditur, habet quod ſuæ pravitati imputet, quæ mihi iſthanc neceſſitatem impoſuit. Alias quippe omnia bona, quæ natura aut

industria nobis peperit, frustra forent concessa, si alteri injuste illa invadenti vim non liceret opponere; & parata præda improbis expositi forent probi, siquidem hi istis nunquam deberent vim opponere. Sic ut violentam sui defensionem plane proscribere, exitio generi humano sit futurum.

§. 7. Non tamen semper, quando injuria intentatur, ad extrema licet provolare; sed *ratiora prius remedia tentanda*; puta ut aditum invasori intercludam, ut intra munita loca me contineam, ut invasorem moneam à furore desistere. Sicut & hoc prudentis est, *levis injuriæ patientia*, si commode fieri possit, defungi, & de suo jure aliquid remittere potius, quam intempestiva violentiæ oppositione majori sese periculo exponere; præsertim ubi impetatur id, quod facile reparari aut pensari queat. Verum ubi hoc aut simili modo salus mea in tuto locari nequeat, pro eadem expedienda vel extrema tentare licebit.

§. 8. Sed ut liquido judicari possit, an quis intra *limites inculpatæ defensionis* substiterit, despiciendum prius est; utrum quis *in naturali libertate*, nulli mortalium subjectus, an vero *imperio civili* obnoxius degat. Priori statu, ubi alter injuriam inferre pertendat nec pœnitentia pravi conatus ductus ad pacem mecum colendam redire velit, hunc vel cum cæde repellere potero. Idque non solum si vitam meam impetat, sed & si vulnerare, aut lædere duntaxat, aut etiam res, salvo corpore, eripere conetur. Nam neque cautum est mihi, quod ab istis injuriis ad majores non sit transiturus; & qui sese hostem profitetur, nullo amplius jure munitur, quo minus quovis modo à me repellatur. Ac revera tunc insociabilis esset hominum vita, si contra eum, qui modicas injurias continuare non desistit, extrema non liceret adhibere. Hoc modo enim modestissimus quisque deterrimo cuique perpetuum ludibrium deberet. In hoc porro statu non solum in præsens intentatum periculum repellere, sed & hoc depulso invasorem eo usque persequi possum, quoad ab illo in futurum satis

satis mihi cautum sit. Super qua *cautione* ita habendum. Si quis, injuria intentata, ultro pœnitentia ductus veniam petat, & damni restitutionem offerat, in gratiam cum ipso, fide accepta, redire debeo. Nam firmum est signum animi emendati, sponte pœnitere, & veniam petere. Ast qui tunc demum pœnitentiam præ se fert, quando resistendi vires deficiunt, ejus nudo promisso fidere parum tutum videtur. Igitur tali vel vires nocendi subtrahendæ, vel aliud vinculum injiciendum, ne deinceps nobis existat formidabilis.

§. 9. Qui autem imperio civili subjecti degunt, tunc demum violentam sui defensionem licite adhibent, quando tempus ac locus non fert auxilium magistratus implorari ad repellendam eam injuriam, qua vita, vitæque æquipollens, aut irreparabile bonum in præsentaneum periculum conjicitur. Et quidem ut periculum tantummodo depellatur: vindicta autem & cautio de non offendendo in posterum magistratus arbitrio relinquatur.

§. 10. Licet autem defensionem suscipere tam adversus eum, qui dolo malo, quam qui *per errorem* exitium mihi intentat; puta, si quis insania agitatus me invaserit, aut quia me alium, qui cum inimicitiæ ipsi intercedunt, crediderit. Nam sufficit, quod alteri non sit jus ad me invadendum, aut occidendum, neque in me sit obligatio ad mortem frustra subeundam.

§. 11. Circa *tempus*, intra quod defensio recte fieri potest, ita habendum est. Qui in naturali libertate utrinque degunt, etsi possint ac debeant præsumere, alios adversus se officia legis naturalis observaturos: tamen propter malitiam ingenii humani nunquam ita securi esse debent, quin sibi mature innoxia munimenta circumponant; puta, aditum præstruendo hostilia molientibus, arma virosque comparando, socios adjungendo, aliorum conatus vigilanter observando, & quæ sunt similia. Verum ista suspicio, orta ex communi hominum malitia, non sufficit, ut sub ob-

tentu defenſionis meæ alterum ultro armis opprimere poſſim, ne quidem ſi potentiam ipſius nimis gliſcere videam; præſertim ubi eandem innoxia induſtria, aut per benignitatem fati citra aliorum oppreſſionem adauxerit. Quin & ſi quis præter facultatem nocendi etiam voluntatem oſtendat, non quidem adverſus me, ſed alium, non ideo ſtatim meo nomine eum invadere ultro poſſum; niſi ad auxilium alteri, qui injuſte à potentiore invaditur, ex fœdere tenear. Quod eo promtius facere expedit, ſi probabile ſit, iſtum altero oppreſſo in me quoque tranſiturum, & priore victoria pro inſtrumento ſequentis uſurum. Aſt ubi liquido adparet, alterum circa inferendam mihi vim jam occupari, licet conatus ſuos nondum plene expromſerit, ſtatim licebit violentam ſui defenſionem auſpicari, & noxam adparantem occupare; ſiquidem nulla ſpes ſit fore, ut amice admonitus hoſtilem animum exuat, aut ejuſmodi admonitio rebus noſtris noxia ſit futura. Unde heic pro aggreſſore erit habendus, qui prior voluntatem nocendi alteri concepit, & ad eandem exſequendam ſe comparavit; defenſionis autem favor illum comitabitur, qui celeritate uſus tardius molientem oppreſſerit. Neque enim ad defenſionem requiritur primum ictum excipere, aut ictus, qui intentantur, eludere duntaxat & repellere.

§. 12. Aſt in civitatibus hautquidquam tam laxum ſpatium ad ſui defenſionem indulgetur. Nam heic licet quis intellexerit, civem ſeſe comparare, ad vim ipſi inferendam, aut atroces minas ſpargere; nequaquam occupare iſtum licebit; ſed ad communem imperantem erit deferendus, & ab eodem cautio petenda. Verum ubi quis ab altero jam invaditur, & in eas redigitur anguſtias, ut magiſtratus, aut aliorum civium implorandi ſubſidium facultas non ſit, tunc demum ad repellendam vim vel extrema invaſori licebit intentare; non quidem ea intentione, ut per cædem vindicta ob injuriam exigatur, ſed quatenus vita citra ejuſmodi cædem è præſenti periculo nequit eripi. *Initium* autem temporis illius, quo quis in ſui defenſionem

ſionem alium impune poteſt occidere, inde ſumitur; quando aggreſſor voluntatem impetendi vitam meam præ ſe ferens, & à viribus inſtrumentiſque nocendi inſtructus, jam intra illum locum extiterit, ex quo reipſa nocere poſſit, computato quoque illo ſpatio, quo opus eſt, ſi ego prævenire, quam præveniri malim. Etſi propter perturbationem animi, quam tantum periculum excitat, modicus exceſſus in foro humano non curetur. *Perdurat* autem *ſpatium inculpatæ tutelæ*, quoad aggreſſor fuerit depulſus, aut ultro receſſerit, vel pœnitentia in ipſo facinoris momento tactus, vel quod conatum ejus eventus deſtituerit; ita ut in præſens nocere amplius nequeat, nobiſq; ſit facultas in loca tuta nos recipiendi. Nam ultio injuriæ & cautio in futurum ad imperii civilis curam & poteſtatem ſpectat.

§. 13. Quanquam autem dictum ſit, non recte ad cædem provolari, ubi commodiore via periculum depelli poteſt: tamen propter *perturbationem animi*, quam imminens periculum parere ſolet, non omnia ad vivum reſecari ſolent; cum in tali periculo trepidanti non ita accurate omnes evadendi vias liceat circumſpicere, ſicut ei qui tranquillo animo rem conſiderat. Inde uti ex loco tuto ad provocantem ultro deſcendere temerarium eſt; ita ſi in aperto me loco conſtitutum alter invadat, non præciſe ad *fugam* obligor; niſi forte in propinquo ſit tale ſuffugium, id quod me citra periculum poſſim recipere: neque ſemper ceſſim ire teneor. Nam & ibi nudum tergum oſtendendum, & utrinque periculum lapſus imminet, ac ubi ſemel gradu ſis depulſus, eundem iterum componere haut facile eſt. Uti autem aliquis favore defenſionis non excluditur, quod ultro in publicum ad ſua negotia obeunda prodiit, cum ſi domi manſiſſet, à periculo immunis erat futurus: ita eodem non fruitur qui ab altero in *duellum* provocatus, ubi comparuerit, ita premitur, ut ni illum transfodiat, ipſi ſit pereundum. Nam cum leges id periculum ſubire vetent, ejus quoque ad excuſandam cædem nulla habetur ratio.

§. 14. Quod pro defensione vitæ, idem & pro *defensione membrorum* conceditur, sic ut & ille innocens habeatur, qui violentum invasorem occidit, cui fortasse intentio fuit membro eum duntaxat mutilandi, aut grave vulnus infligendi. Nam & natura à mutilatione, & gravi læsione maxime abhorremus; & mutilatio membri, præcipue nobilioris, quandoque non multo minoris quam ipsa vita æstimatur. Quin in antecessum non constat, an non ex mutilatione ac vulnere mors sit secutura: ac talis patientia communem hominum constantiam superat, ad quam leges regulariter non solent obligare, in gratiam præsertim hominis malitiosi.

§. 15. Sed & quod pro vita, id & pro *pudicitia* licere judicatur: quippe cum nulla major contumelia honestæ fœminæ inferri queat, quam si quis invitæ eripere aggrediatur, cujus integritate ejus sexus decus maxime æstimatur; & efficiat, ut hosti ex suo sanguine prolem suscitare cogatur.

§. 16. *Defensio* autem *rerum* inter eos quidem, qui in naturali libertate vivunt, etiam *ad cædem usque* invasoris procedere potest; modo res non sit ejusmodi, ut contemni mereatur. Nam citra res utique vita nostra servari nequit; & æque hostilem animum declarat, qui res, quam qui vitam per injuriam impetit. Verum in civitatibus, ubi erepta subsidio magistratus recuperari possunt, id regulariter non conceditur; nisi in eo casu, ubi qui res nostras ereptum venit, in judicium adduci non potest. Quo intuitu licitum est occidere prædones, & fures nocturnos.

§. 17. Atque hæc de defensione ab iis facta, qui ultro ab aliis per injuriam invaduntur. Qui autem prior alterum læsit, tunc demum recte se defendere, eaque defensione istum denuo lædere potest, postquam pœnitentia tactus reparationem damni dati, & cautionem de non lædendo in posterum obtulit, & læsus eandem per asperitatem animi respuit, ac manu sibi vindictam facere pertendit.

§. 18. De-

§. 18. Denique & tanti habetur conſervatio ſui, ut ſi ea obtineri aliter nequeat, in plurimis caſibus ab obligatione communium legum eximere cenſeatur. Quo nomine *neceſſitas* lege carere dicitur. Scilicet cum tanto ardore ad ſui conſervationem homo rapiatur, non facile præſumitur talem iſti obligationem impoſitam, cui propria ſalus cedere debeat. Quanquam enim non Deus ſolum, ſed &, ubi materiæ gravitas requirit, imperium civile tam rigidam nobis obligationem injungere queat, ut mors ſit potius oppetenda, quam latum unguem ab illa diſcedamus: tamen non ſemper tam rigida legum præſumitur obligatio. Has enim qui tulerunt, aut qui inſtituta quædam inter homines introduxerunt, cum utique ſalutem aut commoditatem hominum per ea promovere voluerint, regulariter quoque ob oculos cenſentur habuiſſe conditionem naturæ humanæ, & quam non poſſit non homo refugere & amoliri illa, quæ ad ſui deſtructionem tendunt. Inde regulariter leges inprimis poſitivæ, & quævis inſtituta humana judicantur excipere caſum neceſſitatis, ſeu non obligare, quando ipſarum obſervationem comitaturum eſſet malum, humanam naturam deſtruens, aut communi hominum conſtantia ſuperius; niſi expreſſe, aut propter negotii naturam iſte quoque caſus ſit comprehenſus. Unde neceſſitas non id quidem efficit, ut directe lex poſſit violari, & peccatum admitti: ſed ex benevola legiſlatorum mente, ſimulque naturæ humanæ conſideratione præſumitur, caſum neceſſitatis ſub lege generaliter concepta non contineri. Exemplo uno & altero res erit declaranda.

§. 19. Quanquam alias homini non ſit jus in ſua membra, ut illa pro lubitu mutilet, perdatvé; licebit tamen *abſcindere membrum inſanabili* vitio correptum, ne totum corpus pereat, aut partes adhuc ſinceræ trahantur, aut inutili appendice aliorum uſus membrorum impediatur.

§. 20. Si *in naufragio plures in ſcapham* inſiluerint, quam illa ferre poſſit, neque ad unum peculiari jure

ſcapha pertineat: videntur ſorte ducendi, qui projiciantur: & ſi quis ſortis periculum ſubire detrectaverit, tanquam qui omnium interitum quærat, extra ſortem præcipitari poterit.

§. 21. Si *duo in præſens vitæ periculum* incidant, in quo utrique ſit pereundum, uni quid facere licet, ex quo alteri, alias perituro, fata admoveantur, ut ipſe ſalvus ſit. v. g. Si ego natandi peritus cum altero natandi imperito in profundas aquas incidiſſem, & ille me circumplexus teneret, neque mihi tantæ ſint vires, ut ipſum mecum aquis efferre valeam: potero talem à me violenter amoliri, ne cum ipſo ſimul ſuffocer, etſi is per exiguum tempus à me utcunque ſuſtentari potuerit. Sic in naufragio, ubi ego tabulam occupavi duorum non capacem, ſi quis adnatans eidem quoque ſe velit injicere, me ſimul ſecum perditurus, potero eum quavis violentia à tabula repellere. Sic quando duobus fugientibus hoſtis necem intentans inſtat, unus vel porta poſt ſe clauſa, vel ponte dejecto alterum in periculo vitæ deſtituere poteſt, ſi uterque ſimul ſervari nequeat.

§. 22. Ex neceſſitate poteſt alteri *periculum mortis aut magnæ læſionis intentari indirecte*, ita ut nobis non ſit propoſitum ipſi nocere, ſed duntaxat pro noſtra conſervatione talem actum ſuſcipere, ex quo probabiliter noxa ipſi poſſit inferri; ut tamen mallemus quavis potius alia ratione neceſſitate noſtra defungi, & ipſam læſionem quantum in nobis temperemus. Sic ſi robuſtior mortem intentans me perſequatur, ac in anguſta via, qua fugiendum, forte quis occurrat; ubi admonitus non ceſſerit, aut id temporis locivé anguſtia non admiſerit, licebit illum proſternere, & per eum jacentem fugam perſequi, etſi probabiliter ex eo impulſu vehementer videatur affligendus. Niſi forte illi peculiari obligatione tenear, ut etiam ultro pro ipſo periculum ſubire debeam. Quod ſi fugæ interpoſitus, admonitus licet, decedere via nequeat, pura ſi infans ſit, aut claudus; ſaltem excuſationem merebitur, qui ſuper eundem ſaltum molitur potius,

quam

quam moras nectendo corpus hoſti præbet. At vero ſi quis petulanter vel inhumane mihi obſtiterit, & viam fugiendi concedere noluerit, etiam directe impelli ac proſterni poteſt. Cæterum quibus per iſtos caſus læſio conciliatur, eam tanquam fatalem calamitatem ferre debent.

§. 23. Si quis præter propriam culpam *in extrema inopia victus aut veſtium* adverſus frigus neceſſariarum verſetur, neque ab aliis locupletioribus atque abundantibus precibus, pretio, aut oblata ſua opera, ut ultro ſibi illas concederent, impetrare potuit; citra crimen furti aut rapinæ vi vel clanculum illas ſubducere poterit, præſertim ſi intentionem habuerit earum æſtimationem præſtandi, quando occaſio oblata fuerit. Nam locuples in ejuſmodi neceſſitate conſtituto ex officio humanitatis debebat ſuccurrere. Quanquam autem regulariter, quæ ex humanitate debentur, hautquaquam vi poſſint eripi: tamen extrema neceſſitas efficit, ut talia non minus aſſeri queant, quam quæ ex obligatione perfecta debentur. Neceſſum tamen eſt, ut egenus omnes prius vias tentet, quo volente domino neceſſitatibus ſuis ſuccurrere queat; nevè dominus pari neceſſitate teneatur, aut mox in eandem ſit devolvendus. Et ut reſtitutio fiat, præſertim ubi alterius fortunæ non ferant, gratis tale quid condonare.

§. 24. Denique videtur & neceſſitas, circa res noſtras verſans, veniam indulgere *res alienas perdendi*; ita tamen ut citra noſtram culpam id periculum rei noſtræ extiterit; ut idem commodiore via diſpelli nequeat; ut ne pro viliori noſtra re alterius pretioſiorem perdamus; ut æſtimationem ejuſdem præſtemus, ſi quidem iſta alias peritura non fuerat, aut in partem damni veniamus, ſi alterius res una cum noſtra alias peritura erat, quæ nunc ſua jactura noſtram ſervat. Quam æquitatem fere *leges nauticæ* ſequuntur. Sic & orto incendio, eoque ædibus meis imminente licebit vicini ædes diruere, ita tamen, ut quorum ædes hoc modo ſervatæ ſunt, pro rata vicini damnum ſarciant.

CAP.

CAPUT VI.

De Officio quorumlibet erga quoslibet, & primo, de non lædendis aliis.

§. 1. SEquuntur *officia*, quæ homini *adversus alios homines* sunt exercenda. Eorum aliqua proveniunt *ex communi obligatione*, qua Creator omnes homines ut tales inter se devinctos voluit: aliqua autem *ex certo instituto* per homines introducto aut recepto, vel *ex certo hominum statu adventitio* promanant. Illa cuilibet erga quemlibet exercenda, hæc autem non nisi erga certos, posita certa conditione aut statu. Inde & illa possis vocare *absoluta*, hæc *hypothetica*.

§. 2. Inter officia absoluta seu quorumlibet erga quoslibet *primum* locum obtinet: *nequis alterum lædat*; Est quippe hoc officium omnium latissimum, omnes homines ut tales complexum. Idemque facillimum, utpote nuda actionis intermissione constans, nisi qua obluctantes rationi libidines quandoque compescendæ sunt. Quin & maxime necessarium idem est, quod citra illud socialis hominum vita nullo modo consistere queat. Qui enim nihil boni in me confert, qui ne vulgaria quidem officia mecum miscet, cum eo tamen tranquille vivere possum, modo nulla ratione me lædat. Imo à maxima parte mortalium nihil amplius quam isthoc desideramus; bona fere inter paucos invicem communicantur. Ast cum eo, qui me lædit, nullo modo pacifice possum vivere; cum natura cuique tam tenerum amorem sui, rerumque suarum inseverit, ut non possit non omnibus modis repellere eum, qui istis noxam inferre aggreditur.

§. 3. Hoc ipso autem officio velut muniuntur non illa tantum, quæ per ipsam naturam alicui adsunt; uti est vita, corpus, membra, pudicitia, libertas; sed & quæcunque instituto aliquo atque conventione humana sunt quæsita. Sic ut quocunque legitimo titulo aliquid

quid noſtrum ſit, hoc præcepto idem auferri, corrumpi, lædi, uſibus noſtris ex toto aut parte ſubtrahi vetetur. Unde hoc ipſo interdicta intelliguntur quævis crimina, quibus aliis noxa infertur; uti eſt cædes, vulneratio, verberatio, rapina, furtum, fraus, vis, directe aut indirecte, mediate aut immediate illata, & quæ ſunt ſimilia.

§. 4. Ex hoc porro conſequitur: *Si cui ſit ab altero læſio illata, damnumvè datum ullo modo, qui ipſi rectè poteſt imputari, id quantum fieri poteſt ab eodem eſſe ſarciendum.* Alias enim vanum erit præceptum, ne quis lædatur, neve cui damnum detur, ſi ubi de facto læſus fuerit, damnum ipſi gratis ſit devorandum, & qui læſit fructu ſuæ injuriæ ſecure & citra reſuſionem gaudere queat. Neque etiam citra neceſſitatem reſtitutionis abs ſe invicem lædendis abſtinebit unquam mortlium pravitas; nec ei, qui damnum paſſus eſt, facile fuerit, animum ad agendam cum altero pacem componere, quamdiu iſtius reparationem non obtinuerit.

§. 5. *Damnum* etſi proprie ad rerum læſionem pertinere videatur; ita tamen late à nobis heic accipitur, ut notet omnem læſionem, corruptionem, diminutionem, aut ſublationem, ejus quod noſtrum jam eſt, aut interceptionem ejus, quod ex jure perfecto debebamus habere; ſive id datum ſit à natura, ſive accedente facto humano aut lege attributum; aut denique omiſſionem ac denegationem alicujus præſtationis, quam alter nobis ex obligatione perfecta exhibere tenebatur. Aſt ſi intercipiantur, quæ ex obligatione duntaxat imperfecta debebantur, non cenſetur damnum datum, quod penſari debeat. Inconveniens enim fuerit damni loco ducere, talia non accepiſſe, aut penſationem eorum poſtulare, quæ ab altero non niſi in locum ultronei beneficii expectare poteram, & quæ inter mea, antequam ea accepero, cenſere non poſſum.

§. 6. Sub damni porro nomine venit non modo res noſtra, aut nobis debita, quæ læditur, perditur, aut intercipitur; ſed & *fructus*, qui ex ipſa re proveniunt, ſive

ſive jam ſint percepti, ſive adhuc ſperentur, ſi modo dominus eos percepturus fuerat: deductis tamen impenſis, quæ ad fructuum perceptionem fuerunt neceſſarii. Æſtimatio autem fructuum ſperatorum intenditur aut remittitur, prout propius aut longius à fine incerti proventus remoti fuerint. Denique & pro uno damno habetur, quicquid ex aliqua læſione velut naturali neceſſitate deinceps profluxit.

§. 7. Poteſt autem quis alteri damnum dare non ſolum immediate & *per ſe*, *ſed & per alios*. Poteſt & damnum immediate ab aliquo datum *alteri* imputari, quia ad iſtud factum aliquid contulit vel faciendo, vel non faciendo, quod debebat facere. Quandoque inter plures, qui ad idem factum concurrerunt, unus *principalis* cauſa habetur, alter *acceſſorii* in loco eſt: quandoque omnes *pari* paſſu ambulant. Circa quos obſervandum, illos ita teneri ad reparationem damni, ſi revera cauſa damni fuerint, & momentum aliquod attulerint ad totum damnum, aut ejus partem. Ubi autem quis ad ipſum actum, quo damnum fuit datum, realis aliquid operæ non contulit, neque ut iſte ſuſciperetur antecedenter effecit, neque in partem emolumenti venit; is licet occaſione iſtius actus aliquo peccato obſtringatur, ad reſtitutionem tamen damni non tenebitur; uti ſunt, quialienis malis lætantur, qui patratum damnum laudant, excuſant; qui antequam fiat optant, dum ſit favent aut aſſentantur.

§. 8 Ubi *plures* ad unum actum, ex quo damnum profluxerit, concurrerunt, primo loco tenebitur, qui imperio, aut alio modo neceſſitatis quid habente, ad factum alios impulit. Patrator facinoris, cui miniſterium detrectare non licuit, inſtrumenti tantum rationem habebit. Qui citra neceſſitatem ad facinus acceſſit, ipſe primo loco tenebitur, tum cæteri, qui ad facinus aliquid contulerunt. Ita tamen, ut ſi à prioribus reparatio damni fuerit facta, poſteriores ab eadem ſint immunes. (quod in pœnis ſecus eſt.) Si plures per conſpirationem aliquod facinus patraverint, omnes pro ſingulis, & ſinguli pro omnibus tenentur; ſic

ſic ut ſi omnes comprehendantur, ſinguli ratam partem ad damnum ſarciendum conferre debeant. Ubi reliquis elapſis unus tantum deprehendatur, hic pro omnibus ſolvere tenebitur. Ubi autem ex deprehenſis aliqui non ſint ſolvendo, locupletes in ſolidum tenebuntur. Quod ſi plures citra conſpirationem ad idem facinus concurrerint, ac diſcerni liquido poſſit, quantum quisque ad damnum contulerit; quisque tantum tenebitur ad id penſandum, quod ab ipſo proceſſit. Quod ſi unus ſolidum ſolverit, reliqui à reparatione damni liberantur.

§. 9. Ad reparationem damni tenetur non ſolum, qui dolo malo alteri nocuit; ſed & qui præter directam intentionem per *negligentiam ſeu culpam*, quam evitare facile erat. Hæc enim non minima pars eſt ſocialitatis, ita circumſpecte agere, ut noſtra converſatio aliis non fiat formidoloſa aut intolerabilis. Quin & ſæpe ex peculiari obligatione quis ad accuratam diligentiam adhibendam adſtringitur. Imo & leviſſima culpa ad reparationis neceſſitatem ſufficere poteſt, ſi modo negotii natura exactiſſimam diligentiam non ultro velut adſpernetur, aut ejus magis, quid damnum accipit, quam qui dat, culpa verſetur: aut niſi magna perturbatio vel negotii circumſtantia accuratam circumſpectionem non admittat: puta ſi quis in fervore pugnæ, dum arma quatit, proxime ſibi adſtantem lædat.

§. 10. Verum qui per *caſum fortuitum* & citra ſuam culpam læſit, ad reparationem non tenetur. Quia cum nihil ſit admiſſum, quod imputari ipſi queat, nulla ratio eſt, quare potius is, qui invitus fecit, fatale malum luere debeat, quam alter, qui paſſus eſt.

§. 11. Illud quoque naturali æquitati congruum eſt, ut ſi *homo noſter* citra culpam noſtram alteri damnum dedit, id vel ipſi penſemus, vel iſtum læſo dedamus. Nam ſervus utique naturaliter reparationi damni à ſe dati eſt obnoxius. Cum autem ipſe non habeat bona, unde reparatio fieri queat, ejuſque corpus

pus domini ſit; æquum ſane eſt, ut dominus aut damnum ſarciat, aut iſtum dedat. Alias enim ſervo daretur licentia omnes pro lididine lædendi, ſi neque ab ipſo, qui nihil, ac ne ſeipſum quidem habet, neque à domino reparatio damni obtineri poſſet. Nam ſi vel maxime ob læſionem dominus ipſum verberibus aut carcere velit plectere, læſo inde hautquidquam ſatisfieri poteſt.

§. 12. Quin & idem circa *animalia noſtra* æquum eſſe videtur, ut quando illa etiam citra noſtram culpam, & contra naturam generis ſponte commota, alteri damnum dederint, dominus vel damnum ſarciat, vel animal dedat. Nam ſi ab animali, quod in libertate naturali degebat, læſus fuiſſem, poteram utique qualitercunque damnum meum reparare illud capiendo vel occidendo: quod jus ſane per alterius dominium tolli non potuiſſe videtur. Et cum dominus ex eo animali lucrum capiat, ego vero damnum ex eodem ſenſerim; reparatio autem damni longe ſit favorabilior, quam lucri adquiſitio: adparet recte à domino animalis poſtulari, ut damnum datum reparet, aut ſi tanti non ſit ipſi animal, illud noxæ dedat.

§. 13. Sic igitur qui *damnum* alteri *citra dolum malum* dedit, ultro reparationem debet offerre, teſtarique malitiam abs ſe abfuiſſe, ne læſus ipſum pro hoſte habeat, ac viciſſim hoſtilia intentet. Qui autem *per malitiam* alterum læſit, is non ſolum ultro reparationem damni debet offerre, ſed & pœnitentiam ſui facti oſtendere, veniamque petere. Viciſſim læſus reparatione obtenta pœnitenti ac petenti *veniam dare*, & cum ipſo in gratiam redire tenetur. Nam qui reparatione damni & pœnitentia adquieſcere non vult, ſed vindictam utiq; manu ſibi quæſitum it, nihil aliud agit, quam ut acerbitati animi ſui obſequatur, adeoq; ex cauſa ſupervacua pacem inter homines abrumpat. Quo nomine damnatur etiam naturali lege *vindicta*, quæ nullum alium finem ſhabet propoſitum, quam ægre facere illis, qui nos læſerunt, eorumque dolore noſtrum animum ſatiare. Eo

pro-

proniores autem mortales ad condonandas mutuas offensas esse decet, quo frequentius ipsi supremi Numinis leges violant, eoque & ipsi venia quotidie opus habent.

CAPUT VII.

De agnoscenda naturali Hominum æqualitate.

§. 1. EST homo animal non modo sui conservandi studiosissimum, sed & cui insita sit delicata quædam sui æstimatio, cui si quid detrahatur, non minus sæpe commoveri solet, quam illata corpori aut rebus noxa. Quin in ipso hominis vocabulo judicatur inesse aliqua dignatio, sic ut ultimum simul æque efficaciſſimum argumentum, quo aliorum insolens insultatio retunditur, isthoc habeatur: utique non canis sum, sed æque homo atque tu. Cum igitur natura humana omnibus æque competat, & nemo libenter velit aut possit illi sociari, abs quo non saltem tanquam æque homo, & communis naturæ particeps æstimatur: ideo *secundo loco* inter officia quorumlibet in quoslibet habetur: *Ut quisque alterum hominem æstimet atque tractet, tanquam naturaliter sibi æqualem, seu ut æque hominem.*

§. 2. Consistit autem isthæc hominum æqualitas non in eo solum, quod hominum adultorum *vires* fere sint æquales, hactenus, ut etiam imbecillior robustiori mortem adferre possit, per insidias, aut adjuvante dexteritate, armorumque habilitate: sed & in eo, quod licet unus præ altero variis dotibus animi corporisque à natura sit dotatus, non eo minus tamen legis naturalis præcepta adversus alios ei sint exercenda, atque ipse ab aliis idem expectat; nec ideo plus licentiæ ipsi concedatur alios injuriis afficiendi. Sicuti & contra neminem parca in ipsum natura, aut tenuis fortuna per se ad id condemnat, ut deterioris conditionis circa fruitionem communis juris sit, quam

alii.

alii. Sed quæ unus ab altero poſtulare aut expectare poteſt, eadem alii quoque, cæteris paribus, ab eodem debent; & quod juris quis in alios ſtatuit, eo ipſum uti maxime convenit. *Obligatio* quippe *ad colendam cum aliis hominibus vitam ſocialem omnes homines æqualiter ſtringit*; nec uni magis licet leges naturales in alio violare, quam alteri. Etſi nec deſint populares rationes eam æqualitatem illuſtrantes; puta quod ex eadem ſtirpe omnes deſcendamus, eodem modo naſcamur, nutriamur, moriamur; quodque Deus nemini de ſtabili & inconcuſſa fortuna caverit. Sicut & ſcita religionis Chriſtianæ parando Numinis favori non nobilitatem, potentiam, divitiaſvé, ſed pietatis ſinceritatem commendant, quæ æque in humilem, quam illuſtri poſitum loco cadere poteſt.

§. 3. Ex haccce porro æqualitate conſequitur: eum, qui aliorum opera ad commodum ſuum uti vult, viciſſim quoque in eorundem uſus ſeſe diſpenſare debere. Nam qui poſtulat, ut alii quidem ſibi inſerviant, ipſe contra ſemper immunis eſſe cupit, is alios utique ſibi inæquales ducit. Inde uti ad ſocietatem quam maxime ſunt idonei, qui facile eadem omnibus permittant, quæ ſibi: ita plane inſociabiles ſunt, qui dum aliis ſuperiores ſeſe exiſtimant, omnia licere ſibi ſolis volunt, & ante cæteros honorem ſibi arrogant, partemque præcipuam ex rebus in medio poſitis, ubi nullo præ reliquis eximio jure pollent. Unde & id inter communia legis naturalis officia eſt: *ut ne quis, cui peculiare jus non eſt quæſitum plus ſibi, quam reliquis arroget, ſed alios æquo ſecum jure frui permittat.*

§. 4. Eadem æqualitas quoque oſtendit, quomodo quis ſeſe debeat gerere, ubi *jus inter alios* ipſi ſit *diſtribuendum*; nempe ut tanquam æquales eos tractet, & neutri præter merita cauſæ quid præ altero indulgeat. Secus enim ſi fit, is qui poſthabetur contumelia ſimul & injuria afficitur, & dignatio à natura data eidem detrahitur. Unde conſequitur, ut res communis æqualibus portionibus inter æquales jure

ſit

ſit dividenda. Ubi diviſionem res non admittit, eadem communiter uti debent, qui æquale jus habent; idque ſi quantitas rei permittat, quantum quiſque velit. Sin res iſtud non ferat, ut tunc utantur ea re præfinito modo, & proportionate ad numerum utentium. Alius enim modus excogitari non poteſt æqualitatem obſervandi. Quod ſi autem neque dividi res, neque communiter haberi poſſit, uſus ejus ſit vel alternus, vel ſi ne hoc quidem ſuccedat, aut reliquis æquipollens præſtari nequeat, per *ſortem* uni res erit adjudicanda. Nam in ejuſmodi caſibus commodius quam ſors remedium inveniri nequit; quippe quæ opinionem contemtus removet, & cui non favet, de dignatione nihil detrahit.

§. 5. Contra hoc officium peccatur per *ſuperbiam*, qua quis nulla de cauſa aut non ſufficiente aliis ſe præfert, & velut inæquales eoſdem præ ſe deſpicit. *Nulla de cauſa* dicimus. Nam ubi quis ſibi rite jus quæſivit, quod ipſi præ aliis prælationem dat, recte illud exercere & tueri poteſt, citra tamen inanem faſtum, aut aliorum contemtum. Sicuti & contra quilibet alteri prælationem, honoremque, qui ipſi debetur, merito præſtat. De cætero veræ generoſitati ſemper comes eſt honeſta quædam *humilitas*, quæ conſiſtit in reflexione, quam facimus ſuper infirmitate naturæ noſtræ, & erroribus, quos olim potuimus commiſiſſe, aut deinceps poſſimus committere, qui non minores ſunt iis, qui ab aliis committi poſſunt. Per quam efficitur, ut nos nemini præferamus, reputantes cæteros æque bene ſuo libero arbitrio, ac nos, uti poſſe, quo æque pollent; cujus ligitimus uſus unicum illud eſt, quod homo pro ſuo reputare poſſit, & quo ſeſe æſtimare aut deſpicere queat. Nulla autem de cauſa ſeſe efferre revera ridiculum eſt vitium, quia & per ſe ſtultum, propter nihil ſe magni facere; & quia alios omnes pro ſtultis habet, quaſi ipſum citra rationem eſſent æſtimaturi.

§. 6. Magis adhuc peccatur, ſi quis *contemtum* adverſus alios oſtendat ſignis exterioribus, factis, verbis,

vultu, risu, ac quacunque contumelia. Quod peccatum eo deterius est censendum, quo asperius aliorum animi in iras ac ulciscendi libidinem concitantur. Adeo ut multi deprehendantur, qui vitam malint præsenti periculo exponere, multo magis pacem adversus alios abrumpere, quam contumeliam inultam pati. Quippe cum per hanc violetur gloria & existimatio, cujus integritate & vigore omnis animi voluptas constat.

CAPUT VIII.

De promiscuis Officiis Humanitatis.

§. 1. INter officia quorumlibet erga quoslibet, & quæ propter communem socialitatem sunt exercenda, *tertio* loco id ponitur: *ut quilibet alterius utilitatem, quantum commode potest, promoveat.* Cum enim cognationem quandam inter homines natura constituerit, parum fuerit alios non læsisse aut contemsisse, sed talia quoque in alios conferenda, aut invicem communicanda, ex quibus mutua inter homines benevolentia alatur. Prosumus autem aliis vel *indefinite*, vel *definite*; idque ut vel *nihil* nobis vel *aliquid decedat.*

§. 2 *Indefinite* aliorum commoda promotum it, qui animam, ac corpus suum probe excolit, ut utiles abs se actiones in alios proficisci queant; aut si per solertiam ingenii talia inveniat, quibus vita humana reddatur instructior. Unde contra hoc officium peccare sunt censendi, qui nullam honestam artem addiscunt, vitaque per silentium transita animam pro sale habent, ne putrescant, numerus tantum & fruges consumere nati. Et qui opibus per majores relictis contenti, ideo impune abs sese ignaviæ litari credunt, quod aliorum industria jam sit partum, unde victitent. Et qui divitiis soli incubuere repertis, nec partem posuere suis. Item qui ad porcorum instar neminem nisi morte sua exhilarant. Et id farinæ alia otiosa terræ pondera.

§. 3. Vi-

§. 3. Viciſſim illis qui de mortalium genere bene mereri inſtituunt, cæteri hoc debent, ut ipſis ne invideant, nec præclaris eorundem conatibus remoram injiciant. Tum ſi alia non ſit via paria cum iſtis faciendi, ſaltem celebritatem memoriæ famæque eorum, qui præcipuus laborum fructus eſt, promotum eant.

§. 4. Inprimis autem illa bona quæ citra noſtrum detrimentum, moleſtiamque aut laborem præſtari poſſunt, non libenter in alios diſpenſare, deteſtanda malignitas & inhumanitas habetur. Quæ vocari ſolent *res innoxiæ utilitatis*, ſeu quæ accipienti proſunt, præſtantem non gravant. Uti ſunt non prohibere æquam profluentem; pati ab igne ignem capere, conſilium fidele deliberanti dare, erranti comiter monſtrare viam. Sic ſi quis rem aliquam amplius poſſidere nolit, propter nimiam copiam, aut quia aſſervatio ejus ipſi moleſta eſt; cur non malit eam potius integram relinquere, ut aliis non hoſtibus uſum præbere poſſit, quam eandem corrumpere? Sic non fas nutrimentum perdere, ubi nos ſaturati ſumus, neque fontem obturare, aut occultare, ubi nos affatim bibimus, neque ſigna navigationis itineriſque abolere, poſtquam iis uſi ſumus. Huc pertinent modicæ ſtipes locupletum in egenos collatæ; item illa humanitas, quæ juſta de cauſa peregrinantibus exhibetur, præſertim ubi aliqua ipſos calamitas oppreſſerit: & ejus generis alia.

§. 5. Sublimior gradus humanitatis eſt, ex ſingulari benevolentia gratis quid in alterum conferre, impenſa aut opera laborioſa conſtans, quo ipſius neceſſitatibus ſubveniatur, aut eidem inſignis quæpiam utilitas concilietur. Quæ κατ' ἐξοχὴν vocantur *beneficia*, aptiſſima materia inſignem laudem parandi, ſi magnitudo animi & prudentia eadem rite temperaverit. Eorum diſpenſationem ac modum fere conditio dantis atque accipientis moderatur. In quibus id cumprimis obſervandum, ne obſit benignitas & iis ipſis, quibus benigne videtur fieri, & cæteris: deinde ne major benignitas ſit, quam facultas; tum ut pro dignitate

cuique tribuatur, & quidem ante omnia bene meritis, tum ut quisque noſtræ opis indiget, obſervatis quoque conjunctionis gradibus inter homines. Videndum quoque quid cuique maxime neceſſe ſit, & quid quiſque nobiſcum, aut ſine nobis poſſit conſequi aut non poſſit. Modus quoque dandi multum gratiæ beneficiis addit, ſi hilari fronte, promte, & cum conteſtatione benevolentiæ demus.

§. 6. Viciſſim in eo, qui beneficium accepit, exiſtere debet *gratus animus*, quo is oſtendit, iſtud ſibi acceptum fuiſſe, dantique eam ob cauſam favet, & occaſionem quærit paria reponendi, aut amplius, quantum ejus fieri poteſt. Nam id non neceſſarium eſt, ut præciſe tantum reddamus, quanti id fuit, quod datum eſt; ſed ſæpe ſtudium & conatus obligationem explent. Modo tamen nihil ſit, quod ei, qui beneficium ſe dediſſe prætendit, recte opponi poſſit. Nam qui me ex aquis extraxit, ei nihil debeo, ſi me in eas prius conjecerat.

§. 7. Cæterum quo magis ad devinciendos hominum animos apta ſunt beneficia, eo acrius ad gratiam referendam incumbere decet, qui iſta accepit. Saltem ne eum, qui fiducia noſtri prior nobis benefecit, ob eam rem deteriore eſſe conditione patiamur; nevè beneficium accipiamus, niſi animo nitendi, ne dantem merito dati pœniteat. Nam ſi certam ob cauſam peculiariter alicui nolimus obligari, licebat oblatum beneficium dextre recuſare. Et ſane ſi abſque neceſſitate gratiæ referendæ foret, contra rationem fecerit, ſi quis ſua temere jactaverit, & quod perituram proſpicit beneficium prior contulerit. Quo modo omnis tolleretur inter homines beneficentia & fiducia, unaque omnis benevolentia, neque eſſet inter eos quidquam gratuitæ opis nec ullum gratiæ conciliandæ initium.

§. 8. Quanquam autem *in animo ingrato per ſe nulla ſit injuria:* fœdius tamen & magis odioſum ac deteſtabile habetur nomen ingrati quam injuſti. Cenſetur enim animi valde abjecti & degeneris, ſeipſum indignum declarare eo judicio, quod alter de ipſius pro-

probitate tulit; ac ne beneficiis quidem, quæ etiam bruta demulcent, moveri posse ad concipiendum humanitatis sensum. In foro tamen civili ob simplicem ingratitudinem, seu ubi quis nude beneficii obliviscitur, & occasione id data referre negligit, *actio* non solet dari. Pars enim optima beneficii perit, si actio, uti certæ pecuniæ, detur; jam enim creditum esse incipiet. Et cum res honestissima sit referre gratiam, desinet esse ita splendide honesta, si sit necessaria. Denique huic uni legi vix omnia fora essent suffectura, ob difficillimam æstimationem circumstantiarum, quæ beneficium vel intendunt, vel elevant. Et eam ipsam ob causam beneficium dedi, i. e. ejus quod dedi refusionem mihi stipulatus non sum, ut & alteri foret occasio ostendendi, se honesti amore, non ex metu pœnæ humanæ aut coactionis gratiam retulisse; utque ipse non spe lucri, sed ob humanitatem exercendam videar erogasse, de quo recipiendo mihi caveri noluerim. Enim vero qui non solum beneficium non rependit, sed & benefactori insuper malum reponit, ille ob hocce factum eo graviore pœna est afficiendus, quo fædiorem animi malignitatem sibi inesse ostendit.

CAPUT IX.

De Officio Paciscentium in genere.

§. 1. AB officiis absolutis ad hypothetica fit velut transitus per pacta intermedia, quippe cum omnia officia, præter jam enumerata, pactum expressum aut tacitum videantur præsupponere. Igitur hoc loco agendum erit *de natura pactorum*, & quid illa ineuntibus observandum sit.

§. 2. Fuisse autem *necessarium pacta inter homines iniri*, satis manifestum est. Quanquam enim officia humanitatis late sese per vitam humanam diffundant: haut-quidquam tamen ex eo solo fonte deduci omnia possunt, quæ hominibus ab se invicem utiliter percipere licebat.

Nam neque quibuſvis ea eſt ingenii bonitas, ut omnia quibus aliis prodeſſe poſſunt, ex ſola humanitate velint præſtare citra exploratam ſpem paria recipiendi. Et frequenter illa, quæ ab aliis in nos proficiſci queunt, ejuſmodi ſunt, ut gratis eadem nobis exhiberi ſalva fronte poſtulare nequeamus. Sæpe quoque noſtram fortunam aut perſonam non decet, alteri tale beneficium debere. Adeoque ut plurimum alter dare non poteſt, ſæpe nos accipere nolumus, niſi iſte paria à nobis recipiat. Non raro denique alios latet, qua ratione commodis noſtris inſervire queant. Igitur ut mutua inter homines officia, qui fructus eſt ſocialitatis, eo crebrius & ad certas velut regulas exerceantur, neceſſum fuit homines ipſos inter ſe convenire ſuper ejuſmodi rebus invicem præſtandis, quæ ex ſola humanitatis lege certo ſibi polliceri ab aliis non poterant. Adeoque in anteceſſum determinandum fuit, quid alteri quis præſtare, quidque ab eodem iterum expectare, ſuoque jure exigere deberet. Id ipſum autem fit per *promiſſa*, & *pacta*.

§. 3. Circa iſthæc generale officium ex lege naturali debitum eſt: *ut quilibet fidem datam ſervet*, ſeu promiſſa & pacta expleat. Citra hoc enim ſi eſſet, plurima pars utilitatis periret, quæ humano generi communicatis invicem operis ac rebus enaſci apta eſt. Et ni promiſſa ſervandi neceſſitas foret, hautquidquam liceret rationes ſuas firmiter aliorum hominum ſubſidiis ſuperſtruere. Quin & ex decepta fide juſtiſſimæ querelarum bellique cauſæ pullulare ſunt idoneæ. Nam ubi ego ex pacto aliquid præſtiterim, altero fidem fallente, mea mihi res aut opera fruſtra periit. Sin vero nihil adhuc præſtiti, rationes tamen, & deſtinata mea turbari moleſtum eſt; cum alio modo rebus meis potuiſſem conſulere, niſi iſte ſe mihi obtuliſſet. Et indignum eſt ludibrio haberi, quia alterum cordatum ac bonum virum credidi.

§. 4. Obſervandum autem, ea quæ ex ſolo humanitatis officio debentur, in eo potiſſimum differre ab iis, quæ ex pacto aut promiſſo perfecto debentur; quod iſta quidem recte petantur, & honeſte præſtentur; ſed ubi

ubi alter ea ultro præſtare neglexerit, de inhumanitate duntaxat, feritate, aut duritia ejuſdem queri poſſum, non tamen per violentiam propriam aut ſuperioris eundem ad præſtandum cogere. Id quod tamen licet, ubi ultro non præſtantur, quæ ex promiſſo perfecto aut pacto debentur. Inde etiam ad illa *jus imperfectum*, ad hæc *jus perfectum* habere: ſicut & ad illa *imperfecte*, ad hæc *perfecte obligari* dicimur.

§. 5. Fidem damus vel *per actum ſolitarium* ſeu μονόπλευρον, vel *per actum reciprocum* ſeu ἀμφίπλευρον. Quandoque enim unus ſed duntaxat ad quid præſtandum obſtringit; quandoque autem duo pluresve mutuo ſe ad quid præſtandum obligant. Prior actus vocatur *promiſſum gratuitum*, poſterior *pactum*.

§. 6. *Promiſſio* poteſt dividi in *imperfectam* & *perfectam*. Illa eſt, quando ipſi quidem, cui promittimus, utique obligari volumus; ut tamen alteri jus ad exigendum non demus, ſeu ut nolimus ad promiſſum noſtrum implendum violenter compelli. v. g. Si ita concipiam promiſſum; ergo ſerio deſtinavi hoc vel illud tibi præſtare, & peto, ut mihi credas. Sic enim videor obligatus magis ex lege veracitatis, quam juſtitiæ, maloque videri propriæ conſtantiæ & gravitatis impulſu ferri ad faciendum officium, quam propter jus alterius. Huc ſpectant pollicitationes virorum potentum aut gratioſorum, quibus alicui non per verba honoris, ſed ſerio ſuam commendationem, interceſſionem, promotionem, aut ſuffragium ſpondent: quæ tamen hautquaquam velut jure aliquo abs ſe volunt exigi, ſed in ſolidum ſuæ humanitati ac veracitati cupiunt imputari: ut officii ſui gratia eo major ſit, quo longius ab eodem coactio abfuerit.

§. 7. Perfecta autem promiſſio eſt, quando non ſolum ipſe utique obligari volo, ſed & ſimul jus in alterum confero, ut rem promiſſam velut debitam plene me poſcere queat.

§. 8. Porro ut promiſſa & pacta nos obligent ad aliquid dandum aut faciendum, quod antea non debebamus, aut omittendum, quod antea jure poteramus

facere, maxime requiritur *ultroneus noſter conſenſus*. Nam cum cujuſvis promiſſi & pacti impletio cum aliquo onere ſit conjuncta, nulla propior ratio eſt, quare ſuper eo conqueri recte nequeamus, quam quia ultro in id conſenſimus, quod evitare penes nos erat.

§. 9. Conſenſus etſi regulariter per *ſigna*, puta voces, literas, nutuſque exprimi ſoleat; aliquando tamen contingit, ut ille citra iſthæc ſigna ex ipſa negotii natura, aliiſque circumſtantiis liquido colligatur. Sicuti interdum *ſilentium*, cum certis circumſtantiis conſideratum, loco ſigni conſenſum exprimentis valet. Unde & dantur *pacta tacita*, quando nempe conſenſus noſter non per ejuſmodi ſigna, quæ regulariter in commercio hominum recepta ſunt, exprimitur, ſed quando idem ex negotii natura, aliiſque circumſtantiis liquido colligitur. Sic & principali pacto ſæpe adhæret pactum tacitum, quod ex ipſa negotii natura profluit. Sicut & uſitatiſſimum, ut in pactis tacitæ quædam exceptiones & conditiones neceſſariæ ſint ſubintelligendæ.

§. 10. Ut autem aliquis liquido conſentire poſſit, requiritur *uſus rationis* hactenus, ut præſens negotium intelligat, an ſibi conveniat, & abs ſe præſtari queat, eoque perpenſo conſenſum ſuum ſufficientibus ſignis exprimere poſſit. Unde ſequitur, promiſſa & pacta *infantum*, ut & *amentium ac furioſorum*, (niſi ubi dilucidis intervallis furor diſtinguitur,) nulla eſſe. Id quod & de promiſſis *ebriorum* eſt pronunciandum, ſi ebrietas jam eouſque proceſſerit, ut ratio ſit plane obruta & ſopita. Nam pro vero & deliberato conſenſu haberi nequit, ſi quis vel maxime momentaneo & inconſulto impetu in aliquid inclinet, aut ſigna quædam edat conſenſum alias exprimentia, eo tempore, quando mens velut medicamine quodam loco mota fuerat. Sed & impudens foret, tale promiſſum, præſertim cum magno onere conjunctum, exigere velle. Quin ſi quis ebrietatem eam captavit, & obſervata alterius facilitate promiſſum aſtute elicuit, ne abs

doli

doli quidem fraudiſque crimine immunis erit. Aſt qui, diſcuſſa crapula per ebrietatem acta rata habuerit, utique obligabitur, non tam ex eo quod ebrius, quam quod ſobrius egit.

§. 11. Cæterum quouſque in *pueris* duret imbecillitas rationis, contrahendam obligationem impediens, in univerſum adeo accurate definiri nequit; cum in aliis citius, in aliis tardius judicium matureſcat. Sed illud eſt ex cujuſvis quotidianis actionibus judicandum. Etſi in pleriſque civitatibus leges civiles certum huic temporis terminum conſtituerint. Sicuti & alicubi ſalutariter eſt receptum, ut aliorum prudentiorum autoritatem adhibere neceſſum haberet in contrahendis obligationibus, quouſque inconſultus ille juventæ impetus deferbuiſſe cenſeretur. Quippe cum ea ætas, etiam quando negotium quod geritur intelligit, vehementi fere ac parum provido impetu feratur, ac in promiſſa ſit facilis, ſpei plena, liberalitatis famam captans, in amicitias ambitioſe colendas prona, ac diffidere neſcia. Unde & dolo vix caret, qui iſtius ætatis facilitati imminet; & aliorum diſpendiis locupletari vult, quæ iſti per judicii imbecillitatem prævidere aut æſtimare non norunt.

§. 12. Conſenſum quoque impedit *error*. Circa quem hæ regulæ ſunt obſervandæ. 1. Ubi in promiſſione aliquid tanquam conditionem ſuppoſuerim, citra cujus intuitum promiſſurus non fueram, naturaliter promiſſionis nulla erit vis. Nam promiſſor conſenſit non abſolute, ſed ſub conditione: qua non adparente, promiſſio quoque nulla eſt. 2. Si ex errore ad paciſcendum aut contrahendum fuerim impulſus, eumque re integra & quando nihil adhuc fuit præſtitum deprehendero, æquum ſane fuerit, ut facultas pœnitendi mihi concedatur: præſertim ubi præ me tulero, dum ad paciſcendum accedo, quæ me cauſa impellat, nec alter ex mea pœnitentia detrimentum patiatur, aut id penſare ego paratus ſim. Verum ubi res non amplius eſt integra, & ubi error tunc demum patuerit, quando jam pactum eſt impletum, ex toto aut ex parte;

parte; qui erravit à pacto resilire non poterit, nisi quantum alter ex humanitate velit indulgere. 3. Ubi error contigerit circa ipsam rem, de qua convenitur, pactum vitiatur non tam ob errorem, quam quia legibus pacti non fuit satisfactum. Nam in pactis ipsa res, de qua convenitur, ejusque qualitates debent esse cognitæ; citra quam cognitionem liquidus consensus intelligi nequit. Unde defectu deprehenso, qui lædendus fuerat vel à contractu resilire potest, vel alterum ad defectum supplendum adigere, vel etiam ad præstandum id quod interest, ubi ipsius dolus aut culpa intervenit.

§. 13. Quod si quis *dolo* & malitiosa fraudulentia alterius inductus fuit ad promittendum aut paciscendum, ita est habendum. 1. Si tertius dolum adhibuerit, non colludente eo, quicum paciscimur, negotium erit firmum: ab eo tamen, qui dolum adhibuit, poterimus repetere id quod intererat, nos non fuisse deceptos. 2. Qui dolo suo malo causam dedit, ut ipsi quid promitterem, cum eovè paciscerer, ei ex isthoc actu hautquidquam obligor. 3. Si quis ultro quidem & liquida cum destinatione animi ad paciscendum accesserit, in ipso tamen negotio, puta, circa objectum, ejusvè qualitates & æstimationem dolus intercesserit; hactenus pactum erit vitiosum, ut in arbitrio decepti sit illud penitus dissolvere, aut læsionis pensationem exigere. 4. Quæ ad essentiam negotii non faciunt, nec expresse fuerunt designata, actum de cætero rite conceptum non vitiant; licet forte alter de iis, dum paciscitur, tacite cogitavit; aut ejus opinio astu fuit confirmata, quousque contractus concluſus foret.

§. 14. *Metus* qui circa promissa & pacta intervenit, *dupliciter* sumitur, vel pro *suspicione* probabili fore, ut ab altero decipiamur, idque vel quia ejusmodi vitium in animo ipsius hæret, aut quia malignam suam voluntatem sat perspicue significavit: vel pro *vehementi animi terrore*, orto ex intentato gravi malo, ni promissum aut pactum inire velimus. Circa *priorem* speciem

ſpeciem metus ita habendum. 1. Qui confidit illius promiſſis & pactis, cui fidei religio in univerſum nihili ſit, imprudenter quidem facit ſed eam ſolam ob cauſam pactum non redditur irritum. 2. Ubi pactum jam ſit initium, ac nulla nova emergant indicia intentatæ deceptionis, non licebit à pacto reſilire ex obtentu vitiorum, quæ ante pactum erant cognita. Nam quæ cauſa aliquem non prohibuit, quo minus paciſceretur, eadem quoque prohibere non debet, ne pactum impleat. 3. Ubi poſt pactum initum certiſſima emergant indicia, alterum id agere, ut mihi, quando meum priore loco præſtitero, illudat, non prius ad præſtandum adigi potero, quam contra eam deceptionem mihi cautum ſit.

§. 15. Circa *alteram* ſpeciem metus hæ regulæ obſervandæ. 1. Pacta, quæ ineuntur propter metum à tertio incuſſum, valida ſunt. Nam in hoc utique nullum reſidet vitium, quo minus jus ex pacto ſibi adverſus me adquirere queat; & metum ab altero intentatum diſcuſſiſſe, penſatione utique dignum eſt. 2. Quæ pacta ex metu aut reverentia imperii legitimi ineuntur, aut ob auctoritatem eorum, quibus magnopere devincti ſumus, valida ſunt. 3. Pacta, ad quæ ab illo ipſo, cui promittit aut quicum paciſcitur, injuſta ejuſdem vi quis compellitur, invalida ſunt. Nam injuria, quam alter incuſſo metu injuſto mihi infert, incapacem eum reddit, ut jus ſibi adverſus me ex illo actu quærere poſſit. Et cum quis alias teneatur penſare damnum abs ſeſe datum, per compenſationem velut tolli obligatio intelligitur, ſi non ſolvitur id, quod ſtatim reſtitui debebat.

§. 16 Prætera oportet *conſenſum* non in pactis ſolum, ſed & promiſſis eſſe *mutuum*; ſic ut conſentire debeat non ſolum qui promittit, ſed & cui promittitur. Quando enim hujus conſenſus abeſt, ſeu quando is oblatum promiſſum acceptare detrectaverit, res promiſſa penes promiſſorem manet. Qui enim alteri rem ſuam offert, neque invito eam vult impingere, neque pro derelicta habere. Ergo ſi alter non acceptet, juri

pro-

promittentis in rem oblatam nihil decedit. Quod ſi rogatio anteceſſit, cenſebitur ea durare, niſi expreſſe fuerit revocata; eoque caſu in anteceſſum acceptatio facta intelligitur. Ita tamen ut rogationi reſpondeat oblatio. Nam ſi hæc diſcrepet, expreſſa requiritur acceptatio; quia ſæpe mihi non conſulitur, niſi tantundem quantum rogavi accepero.

§. 17. Circa *materiam* promiſſorum & pactorum requiritur, ut quod promittimus aut paciſcimur *non ſit ſupra noſtras vires*, nevé id patrare lege aliqua prohibeamur: alias enim aut ſtolide aut improbe promittimus. Exinde conſequitur; neminem ſeſe obligare poſſe ad id, quod ipſi eſt impoſſibile. Quod ſi autem res quæ tempore pacti initi poſſibilis habebatur, poſt impoſſibilis aliquo caſu citra paciſcentis culpam facta ſit, re integra pactum erit nullum. Ubi quid præſtitum ab altero jam fuit, id reſtituendum, aut æquipollens reponendum. Si ne hoc quidem fieri poſſit, ſummus erit conatus adhibendus, ne alter detrimenti quid capiat. Nam in pactis primario reſpicimus ad id, de quo expreſſe fuit conventum; ubi hoc obtinere non poſſumus, ſufficit æquipollens exhiberi: ſaltem ne damnum ſentiamus omni modo cavendum eſt. Qui vero dolo aut gravi culpa ſibi ipſe vires præſtandi detraxit, non ſolum ad ſummum conatum tenetur, ſed & velut in ſupplementi vicem malo inſuper poterit mactari.

§. 18. Patet quoque ad *rem illicitam* præſtandam obligari nos non poſſe. Nam nemo valide ſe poteſt obſtringere ulterius, quam ipſi eſt poteſtas. Aſt qui lege actionem prohibet, adimit utique poteſtatem eam ſuſcipiendi, & de eadem præſtanda obligationem admittendi. Contradictorium quippe eſt, ex obligatione per leges confirmata aliquid neceſſario debere facere, quod per eaſdem leges eſt omittendum. Unde peccat quidem, qui illicita promittit; ſed bis peccat, qui eadem præſtat. Unde & hoc colligitur; non ſervari debere promiſſa, quæ illi, cui fiunt, noxæ ſunt futura; cum naturali lege prohibitum ſit, ne quis alteri,

etiam

etiam ſtolide volenti, malum inferat. Si igitur pactum circa rem turpem fuerit initum, neuter ad id explendum tenebitur. Quin & ubi turpe facinus ab uno fuit præſtitum, alter ad ſolvendam conventam mercedem non obligabitur. Quod tamen illo intuitu jam eſt datum, repeti nequit, niſi forte dolus aut enormis læſio acceſſerit.

§. 19. Denique & hoc manifeſtum eſt, fruſtra promittere nos aut paciſci circa *res alienas*, in quantum illæ non noſtræ, ſed alterius directioni & arbitrio ſunt ſubjectæ. Quod ſi autem ita promiſero; me operam daturum, ut alter, (cui pro imperio me quid imperare non poſſe præſupponitur,) præſtet: tunc teneor omni modo moraliter poſſibili, (i. e. quantum alter honeſte à me poſtulare poteſt, & quantum vitæ civilis ratio fert,) laborare, ut ad eandem præſtandam alter permoveatur. Sed & ſuper rebus aut actionibus noſtris, in quas jam alteri jus fuit quæſitum, tertio valide promittere non poſſum, niſi forte in eum caſum, quo alterius jus expiraverit. Nam qui prioribus promiſſis aut pactis jus ſuum in alterum jam tranſtulit, ipſe utique nullum tale jus reliquum amplius habet, quod in tertium poſſit conferre. Ac nullo negotio omnia promiſſa & pacta poſſent fieri irrita, ſi liceret aliud inire, in quo contraria priori diſponerentur, ac quicum prius ſimul expleri nequit. In quo fundatur tritum illud: qui prior tempore, potior jure.

§. 20. Eſt præterea circa promiſſa potiſſimum obſervandum, illa concipi ſolere vel *pure & abſolute*, vel ſub *conditione*, ut ſcilicet validitas promiſſionis conferatur in aliquem eventum, à caſu aut arbitrio humano pendentem. Sunt autem *conditiones* vel *poſſibiles*, vel *impoſſibiles*. Illæ ſubdividuntur in *caſuales* ſeu fortuitas, quæ ut exiſtant vel non exiſtant penes nos non eſt: *poteſtativas* ſeu arbitrarias, quæ ut exiſtant vel non exiſtant, penes eum eſt, cui promittitur: & *mixtas*, quarum impletio partim ab arbitrio ejus, in quem confertur, partim à caſu dependet. *Impoſſibiles* autem

autem sunt vel *physice* tales, vel *moraliter*; i. e. quædam per rerum naturam fieri à nobis non possunt, quædam per leges & honestatem fieri non debent. Et impossibiles quidem conditiones, si naturalem interpretandi simplicitatem sequamur, orationem promittentem faciunt negativam. Etsi per leges fieri possit, ut si adjectæ sint negotio alicui serio, habeantur pro non adjectis; ne per actus nullum eventum sortituros hominibus illudatur.

§. 21. Denique promittimus & paciscimur non solum per nosmetipsos, sed etiam aliorum hominum interventu, quos ipsi voluntatis nostræ *internuncios* atque interpretes constituimus. Per quos, ubi bona fide egerint, quod à nobis in mandatis habebant, valide obligamur apud eos, qui cum istis velut nostras vices gerentibus egerunt.

§. 22. Atque hæc sunt officia hominis absoluta, ut & per quæ velut transitus ad alia fit. Reliqua præsupponunt aliquod *institutum* humanum, generali pacto subnixum, & in genus humanum introductum; vel etiam *statum* aliquem peculiarem. Institutorum istorum deprehenduntur potissimum *tria*; *sermo*, *dominium rerum*, earundemque *pretium*, & *imperium humanum*. De singulis, ut & quæ inde resultant officiis, deinceps exponendum.

CAPUT X.

De Officio Sermocinantium.

§. 1. QUam utile ac plane necessarium sit instrumentum societatis humanæ sermo, nemo est qui ignorat: cum multi vel ea sola facultate collegerint, hominem ad agendam vitam socialem à natura destinatum. Circa hujus ergo legitimum & societati humanæ proficuum usum id officii lex naturalis hominibus dictitat: *ut ne quis sermone, aut aliis signis ad exprimenda animi sensa institutis alterum decipiat.*

§. 2. Sed

§. 2. Sed ut indoles ſermonis penitius intelligatur, ſciendum eſt, circa ſermonem, voce viva aut literis expreſſum, duplicem obligationem occurrere. *Una* eſt, qua iſti, qui eadem lingua utuntur, certæ rei certum vocabulum, prout uſus cujuſque linguæ fert, adplicare tenentur. Cum enim neque voces, neque certi literarum ductus certam rem natura notent: (alias enim omnes linguæ aut ſcripturæ genera coincidere deberent,) inde ne uſus linguæ foret inanis, ſi quiſque quo vellet vocabulo quamlibet rem nuncuparet: neceſſum eſt inter eos, qui eadem lingua utuntur, tacitam interceſſiſſe conventionem, ut certam rem certo, & non alio vocabulo denotent. Ni enim in uniformem vocum adplicationem fuerit conſpiratum, impoſſibile eſt, ex ſermone alterius ſenſa animi colligere. Unde vi iſtius pacti quilibet tenetur ita adhibere in ſermone communi vocabula, prout receptus ejus linguæ uſus fert. Ex quo etiam hoc conſequitur, ut quanquam ſenſa animi à ſermone diſcrepare queant, id tamen in vita humana quiſque voluiſſe cenſeatur, quod verba ejus præ ſe ferunt, etſi fortaſſe intrinſeca mentis deſtinatio ab iſtis diſcedat. De hoc enim cum niſi per ſigna conſtare nequeat, omnis uſus ſermonis redderetur irritus, ſi interna animi cogitatio, quam ſibi quiſque pro lubitu fingere poſſet, id quod ſigna præ ſe ferunt in communi vita elidere poſſet.

§. 3. *Altera* obligatio, quæ in ſermone intervenit, in eo conſiſtit, ut quis alicui per ſermonem animi ſui ſenſa ita debeat pandere, ut hæc ex illo liquido cognoſcere queat. Cum enim non loqui tantum, ſed & tacere homo queat, & cum non ſemper, quod quis in animo volvit, id coram quibuſvis aperire teneatur: igitur neceſſum eſt, ut peculiaris exiſtat obligatio, quæ alicui neceſſitatem adferat tum ad loquendum, tum ad ita loquendum, ut alter ſenſa animi noſtri intelligat. Oritur autem illa obligatio vel *ex peculiari pacto*, vel *ex communi præcepto legis naturalis*, vel *ex præſentis negotii indole*, cui contrahendo ſermo adhibetur. Sæpe enim expreſſe cum aliquo con-

convenitur, ut quis animi ſui ſenſa ſuper aliquo negotio mihi aperiat; ut, ſi quem informatorem mihi in aliqua diſciplina adſciſcam. Sæpe quoque præceptum aliquod legis naturalis meam ſcientiam alteri communicare jubet, ut hoc modo ipſi proſim, vel noxam ab eodem avertam, aut ad noxam accipiendam cauſam vel occaſionem non præbeam. Aliquando denique præſens negotium, quod cum alio ſuſceptum eſt, aliter expediri nequit, ni judicium meum ſuper eo pandam; uti circa celebrandos contractus contingit.

§. 4. Quia autem non ſemper uſu venit, ut ex aliquo horum capitum quævis cogitata mea alteri ſint ſignificanda; patet, me non alia teneri alteri ſermone meo indicare, quam ad quæ ex me intelligenda *jus perfectum aut imperfectum* habet. Adeoque recte tacendo diſſimulare me poſſe, utut maxime interroger, quæ ex me ſciat alter jus non habet, neque ad id aliqua obligatione ego teneor.

§. 5. Imo quia ſermo *non ſolum* eſt inventus *propter alios, ſed & propter nos ipſos:* Ideo ubi aliqua mea in eo verſatur utilitas, neque cujuſquam alterius jus læditur, licebit mihi ſermonem ita formare, ut diverſum ab eo, quod in animo volvo, exprimat.

§. 6. Denique quia ſæpe iſti, ad quos loquimur, ita ſunt diſpoſiti, ut ſi ſermone ſimplici & aperto rem ipſam perciperent, detrimento hoc ipſis futurum eſſet, nec nobis bonum quem intendimus finem adſequi liceret: igitur hiſce in caſibus licebit uti ficto coloratoque ſermone, & qui noſtram ſententiam & intentionem audientibus directe non repræſentet. Nam qui alicui prodeſſe vult & debet, non utique id tenetur facere eo modo, quo finem ſuum non erat obtenturus.

§. 7. Ex hiſce colligitur, in quonam conſiſtat *veritas*, cujus ſtudio boni viri tantopere commendantur: nempe ut verba animi noſtri ſenſa commode repræſentent alteri, cui eadem intelligendi jus quæque ut ipſi aperiamus, nobis obligatio perfecta aut imper-

perfecta incumbit, idque eo fine, ut vel idem ex intellectis animi noſtri ſenſis debitum aliquod commodum nanciſcatur, vel ne, ubi diverſum fuerit ſignificatum, damno præter meritum multetur. Ex quo & hoc obiter patet, non ſemper mendacium admitti, quando etiam data opera non dicitur, quod vel cum ipſa re, vel cum cogitatis noſtris examuſſim congruit: adeoque veritatem quaſi logicam, quæ in cogruentia verborum cum rebus conſiſtit, cum veritate morali non per omnia coincidere.

§. 8. *Mendacium* contra eſt, ubi de induſtria ſermo aliam præ ſe fert ſententiam animi noſtri, quam quæ revera eſt, cum tamen hanc ipſam is, ad quem ſermo dirigitur, intelligendi jus haberet, nobiſque obligatio incumberet efficiendi, ut ille noſtram ſententiam utique intelligeret.

§. 9. Ex dictis igitur conſtat, mendacii notam hautquicquam contrahere, qui fictis ſemonibus, fabuliſque utuntur adverſus pueros aut ſimiles, ad eorum meliorem informationem, quatenus nudæ veritatis non ſunt capaces. Et qui alii fictum ſermonem bono fine adhibent, quem plano adſequi non licebat; puta, ſi innocens protegendus, iratus placandus, mœſtus demulcendus, meticuloſo animus addendus, faſtidioſus ad medicamenta capienda movendus, pertinacia alicujus frangenda, aut malum propoſitum alterius intervertendum, aut ſi arcana reip. & conſilia, quæ intereſt aliorum notitiæ ſubtrahi, fictis rumoribus velut obvelanda, & aliorum importuna curioſitas ſit amolienda; aut ſi hoſti, quem aperta ratione lædere poteramus, fabulis in ſtrategematis vicem illudamus.

§. 10. Contra ſi aliquis utique tenebatur alteri ſenſa animi ſui liquido ſignificare, culpam non effugit, ſi vel partem duntaxat veri dicat, aut ambiguo ſermone alteri illudat, aut tacitam quandam reſtrictionem, à communi uſu abhorrentem, in mente reſervet.

CAPUT XI.

De Officio Jurantium.

§. 1. PEr *jusjurandum* ſermoni noſtro, omnibuſque actibus, circa quos ſermo intervenit, inſigne accedere firmamentum judicatur. Eſt quippe illud *aſſertio religioſa, qua divinæ miſericordiæ renunciamus, aut divinam pœnam in nos depoſcimus, niſi verum dicamus.* Dum autem omniſcius & omnipotens teſtis ſimul & vindex invocatur, præſumtio veritatis ideo excitatur, quod nemo temere tam impius credatur, ut ita petulanter graviſſimam Numinis indignationem in ſe depoſcere ſit auſurus. Inde officium jurantium hoc eſſe intelligitur, *ut & ad jurandum cum reverentia accedant, & quod juratum eſt religioſe obſervent.*

§. 2. *Finis* porro & *uſus juramenti* in hoc maxime vertitur, ut homines ad enunciandum verum, aut ſervandum promiſſum pactumvè eo firmius adſtringantur metu divini Numinis omniſcii & omnipotentis; cujus vindictam ſi ſcientes fallant, per jusjurandum in ſe invocant, ubi alias metus ab hominibus imminens non ſatis efficax videbatur; quippe quorum vires contemnere aut declinare, vel ſcientiam fallere ſe poſſe ſperabant.

§. 3. Quia vero præter Numen nihil eſt omniſcium aut omnipotens, inde abſurde juramentum concipitur *per rem* aliquam *quæ opinione divinitatis deſtituitur*, hoc ſenſu, ut ea res teſtis atque ultrix perjurii invocetur. Etſi hoc frequens ſit, ut in juramentis *certa res nominetur, per quam juretur*, hoc ſenſu, ut Deus, ſi jurans fefellerit, vindictam ſuam in illam potiſſimam rem exſerat tanquam juranti cariſſimam & maximi æſtimatam.

§. 4. In juramentis *formula* illa, qua Deus, dum teſtis & vindex invocatur, deſcribitur, *accommodanda eſt ad perſuaſionem* ſeu religionem, quam circa Deum fovet,

fovet, *qui jurat.* Fruſtra quippe jurando quis adigitur per Deum, quem non credit, adeoque nec metuit. At nemo per Deum jurare ſe putat alia ſub formula, aut alio ſub nomine, quam quod ſuæ, i. e. ex opinione jurantis, veræ religionis præceptis continetur. Inde quoque eſt, quod qui *per falſos Deos* jurat, quos ipſe tamen pro veris habet, utique obligetur, & ſi fefellerit, revera perjurium admittat. Quia ſub quocunque ſpeciali conceptu generalem Numinis notionem ante oculos habuit; adeoque dum ſciens pejeravit, divinæ majeſtatis reverentiam, quantum in ſe, violavit.

§. 5. Ad juramenti obligationem requiritur, ut *animo deliberato* id ſuſceptum ſit. Unde juramento haudquidquam obſtrictus erit, qui ſimpliciter juramentum *recitando* protulerit, aut ejuſdem verba concepta in prima perſona alteri præiverit. Aſt qui ſpeciem ſerio juraturi præ ſe tulit, is utique obligabitur, quicquid demum in animo ſuo dum jurat agitaverit. Nam alias omnis uſus juramentorum, imo omnis ratio intervenientibus ſignis ſeſe obligandi ex humana vita tolleretur, ſi quis tacita ſua intentione poſſet impedire, ne effectus ille actum aliquem ſequatur, cui producendo idem eſt inſtitutus.

§. 6. Juramenta in ſe non producunt novam & peculiarem obligationem; ſed obligationi in ſe validæ velut *acceſſorium quoddam vinculum* ſuperveniunt. Semper enim dum juramus ſupponimus aliquid, quo non præſtito divinam pœnam in nos provocamus. Quod ineptum eſſet, niſi illicitum foret non præſtare id, quod ſupponitur; adeoque niſi jam antea obligaremur. Ex quo ſequitur, quod actus, quibus in ſe vitium adhæret, obligationem impediens, per juramentum accedens obligatorii non fiant. Sicuti nec per ſubſequens juramentum antegreſſa obligatio valida elidituſ, aut jus per eandem quæſitum alteri tollitur. Inde fruſtra quis juraverit, ſeſe alteri debitum non ſoluturum. Nec obligabit juramentum, ubi conſtat, eum qui juravit factum aliquod ſuppoſuiſſe, quod revera

revera ita ſe non habebat, ac niſi id credidiſſet, non fuiſſe juraturum; inprimis ubi per dolum ejus, cui juratur, in errorem fuerit adductus. Nec qui injuſto metu me ad jurandum adigit, ex eo juramento jus ſibi adquirit, ad aliquid à me rectè poſtulandum. Nullas quoque; habebit vires jusjurandum ſuper præſtanda re quapiam illicita; imo & ſuper omittendo aliquo bono, quod legibus divinis aut humanis præcipitur. Denique juramentum non immutat naturam & ſubſtantiam promiſſi pactivè, cui accedit. Inde fruſtra jurantur impoſſibilia. Et promiſſio conditionata per juramentum non mutatur in abſolutam, ſeu puram. Et æque in jurato promiſſo requiritur acceptatio.

§. 7. Hoc autem efficiunt juramenta propter interpoſitam Dei invocationem, quem neque aſtu quis deceperit, & cui nemo impune illuſerit, ut non ſolum *atrocior pœna* cenſeatur manere eum, qui juratam, quam qui injuratam fidem fefellit; ſed & ut à negotiis, quibus adjiciuntur, omnis dolus & *cavillatio* ſit excludenda.

§. 8. Non tamen ſemper late, *ſed & ſtrictè quandoque* juramenta ſunt interpretanda, ſiquidem ſubjecta materia id requirere videatur; puta ſi juratum ſit in odium alterius, & non tam promiſſioni, quam minis juramentum ſit adjectum. Quin nec juramentum excludit tacitas conditiones & limitationes, quæ ex ipſa rei natura rite fluunt. Puta, ſi alicui quicquid velit petendi optionem jurato conceſſi, ubi iſte iniqua aut abſurda petierit, hautquidquam tenebor. Qui enim aliquid indefinite alteri roganti promittit, antequam noverit, quid iſte ſit petiturus, præſupponit alterum petiturum honeſta, moraliter poſſibilia, non abſurda, non ſibi aut aliis pernicioſa.

§. 9. Id quoque notandum, in juramentis *ſenſum totius, orationis valere, prout capere ſe illum profitetur is, qui juramentum defert*, ſeu cui juratur. Hujus enim præcipue, non jurantis cauſa juramentum præſtatur. Unde ejuſdem quoque eſt concipere verba juramenti, & quidem quantum fieri poteſt planiſſime; ſic

ſic ut ipſe ſignificet, quomodo illa intelligat, & jurans annuat, ſe iſtius ſenſum probe percipere; eaque mox ab hoc liquido ſunt exprimenda, ſic ut nulla ratione eadem cavillari & eludere queat.

§. 10. *Diviſio* juramentorum commode deſumitur *ab uſu*, cui illa in vita communi adhibentur. Quædam enim promiſſis pactiſque adduntur, ut eo majore cum religione obſerventur. Quædam autem adhibentur ad confirmandam alicujus aſſertionem, circa factum illiquidum, & ubi veritas aliis rationibus commodius inveſtigari nequit. Quale exigitur à teſtibus, ſive qui alieni facti conſcii habentur. Quandoque etiam ipſi, qui inter ſe diſceptant, deferente judice, aut altera parte, ſuo juramento litem ſolvunt.

CAPUT XII.

De Officio circa adquirendum Rerum Dominium.

§. 1. CUM ea conditio corporis humani, ut adſumtis extrinſecus rebus indigeat, queis nutriatur, & contra ea, quæ ipſius compagem deſtructum eunt, muniatur; per complures quoque res iſthæc vita commodior & mollior reddi poſſit: inde tuto colligitur, volente utique ſummo univerſi Moderatore fieri, quod homo alias creaturas ad uſus ſuos adhibeat; quin ut etiam multas earundem deſtruat. Neque id ſolum obtinet circa vegetabilia, & quæ citra ſenſum corrumpuntur: ſed & circa innoxia animalia, quæ utut cum dolore moriantur, citra peccatum tamen ab homine cibi cauſa occiduntur & conſumuntur.

§. 2. Cæterum ab initio omnes iſtæ res intelliguntur abs Deo *velut in medio hominibus expoſitæ*, ita ut non magis ad hunc, quam ad alterum pertine-

rent. Ita tamen ut ſic circa eas diſponerent homines, prout conditio humani generis, & ratio pacis ac tranquillitatis, bonique ordinis in eodem conſervandi videretur exigere. Inde cum adhuc intra paucos genus mortalium ſubſiſteret, placuit, *ut illa quidem cujuſque fierent, nec ab altero ipſi eripi deberent, quæ quis adprehendiſſet* hac intentione, ut eadem ad uſus ſuos adplicaret; ipſa tamen corpora, ex quibus illæ res provenirent, in medio ad neminem peculiariter ſpectantia manerent. Sed poſtea multiplicatis hominibus, & cum cultura cœpiſſet adhiberi rebus, ex quibus homini alimenta & tegumenta proveniunt, ad evitandas rixas, & introducendo bono ordini *ipſa* quoque *corpora rerum inter homines diviſa*, & cuilibet ſua portio propria aſſignata, hac addita conventione, ut *quæ in prima rerum diviſione in medio forent relicta, deinceps ejus poſſent fieri, qui primus eadem ſibi aſſeruiſſet.* Sic igitur volente Numine, prævio conſenſu hominum, pactoque ſaltem tacito, *proprietas rerum ſive dominium* fuit introductum.

§. 3. Eſt autem *dominium* jus, quo alicujus rei vel ut ſubſtantia ita ad aliquem pertinet, ut eodem modo in ſolidum non pertineat ad alium. Ex quo conſequitur, ut de rebus, quæ tanquam propriæ ad nos pertinent, pro arbitrio noſtro diſponere, & ab eorundem uſu quoſvis alios arcere poſſimus; niſi quatenus per pacta ſingulare jus à nobis ſibi quæſiverint. Etſi in civitatibus contingere ſoleat, ut dominium non ſemper penes quoſvis ſit illibatum, ſed certis limitibus circumſcriptum per imperium civile, aut ex diſpoſitione & conventione hominum inter ſe. Quando autem res una ad plures indiviſim eodem modo pertinet, illa iſtis pluribus vocatur *communis.*

§. 4. Sicuti autem res non ſimul & ſemel in proprietatem iverunt, ſed ſucceſſive, & prout uſus humani generis poſtulare viſus eſt: ita non neceſſum fuit, ut omnes & ſingulæ res propriæ fierent, ſed ſalva pace generis humani *aliquæ potuerunt, aliquæ* de-

debuerunt intra primævam velut communionem permanere. Nam quæ utilia licet hominibus, *inexhausta* tamen sunt, sic ut omnium usibus possint patere, nec tamen singulis usus iste reddatur malignior; ea dividere velle supervacuum simul ac ineptum foret. Uti est lumen calorque solis, aër, aqua profluens, & si quæ sunt similia. Quo refertur etiam vastus Oceanus, magnis continentibus interjectus, quoad partes à litoribus remotissimas. Quippe cum ille non solum omnium usibus promiscuis sufficientissimus, sed & uni alicui populo ejus *custodia moraliter sit impossibilis.* Ubi enim aliqua res ita sit comparata, ut nullo modo alii ab ejus usu arceri queant, illam dividi, aut propriam cujuspiam fieri non supervacuum solum est, sed & inanibus litigiis materiam præbere aptum.

§. 5. *Modi adquirendi* dominii sunt vel *originarii* vel *derivativi.* Per illos ab initio in rem aliquam proprietas introducitur. Per hos dominium jam constitutum ab uno in alterum transit. Priores modi iterum sunt vel *simpliciter tales*, quibus dominium in corpus alicujus rei adquiritur; vel *secundum quid*, queis incrementum aliquod ad rem nostram adjungitur.

§. 6. Post recepta inter homines divisa rerum dominia ita inter homines conventum; ut quæcunque sub primævam divisionem non venerunt, ea cederent occupanti, i. e. ei qui primus eadem corporaliter adprehendisset animo sibi habendi. Sic ut hodie originarius modus dominium in corpus alicujus rei adquirendi sit sola *occupatio.* Hoc igitur modo adquiruntur regiones desertæ, quas nullus unquam homo sibi asseruit: quæ fiunt illius, qui primus eas ingreditur animo sibi habendi, ita ut culturam eis adhibeat, & certos limites constituat, quousque eas suas esse velit. Ubi autem cœtus multorum hominum junctim occupaverit partem quampiam terræ, usitatissimum est, ut singulis ex eo cœtu aliqua portio adsignetur; quæ supersunt, ad totum cœtum

pertinere cenſeantur. Per occupationem quoque adquiruntur feræ beſtiæ, aves, piſces, in mari, fluminibus aut lacubus verſantes; item ſi quæ à mari in littus ſolent ejici; modo tamen per imperium civile promiſcua ejuſmodi rerum captura non ſit interdicta, aut certo alicui aſſignata. Quas neceſſum eſt, ſi noſtræ debent fieri, ut corporaliter adprehendamus, & in noſtram poteſtatem redigamus. Occupatione quoque adquiruntur res, in quibus dominium, cui ante ſubjectæ fuerant, plane eſt extinctum. Puta, ſi quæ abjiciuntur ea intentione, ne amplius ea ſint noſtra; aut quæ ab initio inviti amittimus, ſed poſt pro derelictis habemus. Quo etiam pertinet thesaurus, ſeu pecunia, cujus dominus ignoratur; qui inventori cedit, ubi per leges civiles aliter non eſt diſpoſitum.

§. 7. Cæterum plurimæ res, quæ dominio ſubjectæ ſunt, non in eodem ſemper ſtatu perſiſtunt, ſed variis *auctibus* ſuam *ſubſtantiam dilatant*; quibuſdam extrinſeca *incrementa* accedunt; aliæ *fructus* proferunt; multis per *formam* induſtria humana ſuperinductam pretium accreſcit. Quæ omnia vocabulo *acceſſionum* comprehendi poſſunt; & in duas claſſes dividuntur. Quædam enim citra factum hominis ex ſola natura iſtarum rerum proveniunt: quædam facto & induſtria hominum in ſolidum, aut ex parte procurantur. Circa quas iſta eſt regula; ut qui eſt dominus rei, ad eundem quoque pertineant acceſſiones & quævis emolumenta; Et qui ex ſua materia ſpeciem fecit, ſpeciei ſit dominus.

§. 8. Frequenter tamen contingit, ut alii ex contractu, aut alia via jus ſibi quæſiverint ex re noſtra certum commodum percipiendi, aut etiam impediendi, ne noſtra re omni modo utamur. Quæ jura ſolent vocari *ſervitutes*. Ac dividuntur in *perſonales*, ubi utilitas ex re aliena ipſi perſonæ immediate obvenit; & *reales*, ubi ex re aliena mediante re noſtra utilitas capitur. Inter illas numerantur uſufructus, uſus, habitatio, operæ ſervorum. Reales iterum dividuntur

viduntur in *ſervitutes prædiorum urbanorum, & ruſticorum.* Illæ ſunt v. g. ſervitus oneris ferendi, luminum, ne luminibus officiatur, proſpectus, ſtillicidii recipiendi, &c. Hæ ſunt, v. g. iter, actus, via, aquæductus, aquæ hauſtus, pecoris ad aquam appulſus, jus paſcendi, &c. Quæ omnes fere ex occaſione viciniæ introductæ ſunt.

§. 9. Inter modos adquirendi *derivativos* alii ſunt, quibus res devolvitur in alium ex *diſpoſitione legis*; alii quibus *facto prioris domini*. Et quidem ut vel *bonorum* alicujus *univerſitas*, vel certa eorundem *portio* transferatur.

§. 10. Univerſitas bonorum lege tranſit per mortem prioris domini in *ſucceſſionibus ab inteſtato*. Cum enim & communi hominum inclinationi repugnet, & ad pacem generis humani minime omnium conducat, bona, quæ quis tanto cum labore, dum viveret, quæſiviſſet, à domini morte haberi pro derelictis, & cuivis occupanti patere: inde ſuadente ratione apud omnes populos receptum, ut, ſi quis de ſuis bonis ipſe nihil diſpoſuiſſet, ejus bona devolvantur ad eos, quos pro communi hominum affectu cariſſimos habere judicatur. Quales ſunt regulariter, qui ex nobis deſcendunt, & juxta hos alii ſanguine nobis juncti, pro gradu quiſque propinquitatis. Et licet aliqui homines dentur, qui vel propter accepta beneficia, vel ob peculiarem affectum alienos quoſdam magis ament, quam ſuos conſanguineos: tamen pacis interfuit, non conſiderato paucorum quorundam affectu communem potius mortalium inclinationem ſequi, modumque ſuccedendi obſervare planiſſimum, & nullis impeditis diſceptationibus obnoxium. Quæ emerſuræ erant, ſi benefactores & amici cum iis, qui ſanguinis jure nituntur, poſſent concurrere. Et ſi quis omnino benefactores aut amicos cognatis volebat præferre, debebat expreſſe ſuper ea re diſpoſuiſſe.

§. 11. Ex his conſequitur, proximos cuique hæredes eſſe ſuos *liberos*, quos & natura parentibus alendos edu-

educandoſque ſolicite commendavit, & quibus quiſque parentum cenſetur quam lautiſſime voluiſſe proſpicere, ac quæ ſibi ſuperſunt ipſis potiſſimum relinquere. Per liberos autem intelliguntur præcipue, qui ex legitimo matrimonio nati ſunt. His enim & ipſa ratio, & decor vitæ civilis, & leges populorum cultiorum præ naturalibus favent. Iſta tamen ita demum obtinent, niſi pater aliquem pro ſuo filio ob ſufficientes rationes noluerit agnoſcere, aut niſi ob atrociſſimam malitiam eundem abdicaverit. Sub liberis etiam comprehenduntur ii, qui ſunt ulteriorum graduum, quos uti alere, ipſorum parentibus defunctis, avus tenetur: ita ut & ipſi cum patruis & avunculis ad hæreditatem avi concurrant æquiſſimum eſt, ne ſuper calamitatem mature defuncti patris etiam avi hæreditate excludantur. Ubi deſcendentes deſunt, par eſt ad *parentes* defunctorum liberorum bona devolvi. Quibus liberi & parentes non ſunt ſuperſtites, iis *fratres* ſuccedent. Ubi & hi deficiunt, hæres erit, prout quiſque defunctum ſanguine propius contingit. Etſi ad lites evitandas, quæ hoc exoriri poſſunt frequentiſſimæ, ſimulque ut ea res ad uſum reip. probe attemperetur, in pleriſque civitatibus ſuper ordine ſucceſſionis accurate deprehenditur diſpoſitum. Et hunc ordinem ut ſequantur privati tutiſſimum eſt, niſi graves cauſæ peculiariter diſponere ſubigant.

§. 12. Facto domini prioris univerſitas rerum mortis cauſa tranſit per *teſtamentum*. Nam & illud in qualecunque ſolatium mortalitatis apud pleroſque eſt receptum, ut quis vivus ſua bona transferre poſſet in eventum mortis, in eum, quem maxime amaret. Cæterum cum antiquiſſimis temporibus uſitatum fuiſſe videatur, ut imminente jam fato palam ſuos hæredes nuncuparent, & patrimonium de manu in manum ipſis traderent; poſtea graves ob rationes multis populis aliud teſtamenti genus magis arriſit. Ut nempe quocunque tempore placeret ultimam ſuam voluntatem vel palam ſignificare, vel literis tacite con-

consignare possent; quam mutare pro libitu liceret, & ex qua hæredibus nuncupatis aut scriptis tunc demum jus nascerentur, quando testator expiraret. Atque tales ultimæ voluntates licet merito magnum habeant favorem; ita tamen temperandæ erunt, prout necessitudinum ratio, & utilitas civitatum requirit. Quæ & inde legibus sueverunt cavere, quomodo cuique testamenta sint ordinanda. A quarum dispositione qui discesserit, queri non potest, suæ voluntatis non fuisse habitam rationem.

§. 13. Inter vivos facto prioris domini res transeunt vel *gratis*, vel *interposito contractu*. Prioris generis translationes vocantur *donationes*. De contractibus infra erit agendum.

§. 14. Quandoque etiam *invito priore domino* res transferuntur; & quidem in civitatibus potissimum per modum pœnæ, dum ob delicta damnatis interdum omnia bona, interdum certa eorum portio eripiuntur, & vel publico, vel læso adplicantur. Sic & in bello invitis res per hostem viribus superiorem eripiuntur, raptorique adquiruntur; ad quas tamen recuperandas pari violentia prior dominus jus non amittit, quousque per subsequentes pacis tractatus omni prætensioni ad easdem renunciaverit.

§. 15. Peculiaris denique modus adquirendi est *usucapio*; per quam is, qui bona fide justoque titulo rei alicujus possessionem nactus est, eamque diu quietam & non interruptam obtinuit, demum pro perfecto domino ejus rei habetur, ita ut antiquum dominum, si postea rem eam vindicare velit, repellere queat. Cujus juris introducti ratio fuit, partim quod pro relicto rem habere judicaretur, qui diu eandem vindicare neglexerit, cum longo tempore ad id occasiones vix deesse judicentur: partim quod tranquillitatis & pacis interesset, aliquando possessiones rerum extra controversiam collocari. Præsertim cum longe gravius videatur post diuturnam possessionem re bona fide parta privari, quam olim amissa, & cujus desiderium dudum erat digestum, in perpetuum carere. Ut

ta-

tamen in civitatibus certi termini, prout ratio & utilitas civitatis ſuggeſſerit, definiantur intra quos uſucapio compleatur, tranquillitatis & pacis intereſt.

CAPUT XIII.

De Officiis, quæ ex Dominio rerum per ſe reſultant.

§. 1. EX introducto rerum dominio iſta officia inter homines provenerunt. I. *Vt quilibet teneatur alterum* (non hoſtem) *pati rebus ſuis quiete frui, neque vi aut per fraudem illas corrumpere, intervertere, aut ad ſe trahere ſuſtineat.* Quo ipſo furta, rapinæ, & ſimilia crimina, in res alienas tendentia, vetantur.

§. 2. II. *Quando res aliena ad nos pervenit ſine noſtro crimine, & bona noſtra fide, eamque adhuc in noſtra poteſtate habemus, tenemur efficere, quantum in nobis eſt, ut illa in poteſtatem legitimi ſui domini redeat.* Non tamen tenemur illam rem reſtituere noſtris impenſis, & ſi quas in eam ſervandam fecimus, recte poſſumus repetere, aut rem tantiſper, quoad illæ ſolvantur, retinere. Et ad reſtituendum tunc demum actu tenemur, quando innotuit nobis, illam rem eſſe alterius. Tunc enim debemus ſignificare, rem eam penes nos eſſe, nec per nos ſtare, quo minus dominus ſuum poſſit recipere. Quod tamen juſto titulo adquiſivimus, non tenemur ipſi in dubium revocare, & velut publice denunciare, an quis eam rem ſibi velit vindicare. Atque iſthoc officium præponderat contractibus particularibus, iiſq; exceptionem dat. v. g. Si fur apud me inſcium furti rem furtivam depoſuerit, & poſt verus ejuſdem dominus adparuerit, huic, non furi, eadem erit reſtituenda.

§. 3. III. *Quod ſi autem res aliena, bona fide parta, ſit conſumta, officii eſt tantum reſtituere domino, quantum facti*

facti ſumus locupletiores: ne ex immerito alterius damno lucrum capiamus.

§. 4. Ex hiſce porro ſequentes concluſiones deducuntur. I. Poſſeſſor bonæ fidei non tenetur ad ullam reſtitutionem, *ſi res periit*; quia nec res ipſa penes eum eſt, nec lucrum ex ea re.

§. 5. II. Bonæ fidei poſſeſſor tenetur ad reſtituendum non ſolum rem, ſed & *fructus adhuc extantes.* Naturaliter enim ad quem pertinet res, ad eundem quoque fructus pertinent. Licebit tamen poſſeſſori detrahere omnes impenſas in rem ejuſque culturam, quo fructus provenirent, factas.

§. 6. III. B. f. poſſeſſor tenetur ad reſtitutionem rei & fructuum *conſumtorum*; ſi modo alias tantundem conſumturus fuerat, & poſſit rei evictæ pretium ab autore ſuo recuperare. Nam in hoc factus eſt locupletior, dum rem alienam conſumendo ſuæ pepercit.

§. 7. IV. B. f. poſſeſſor non tenetur penſare fructus, quos *neglexerit.* Quia nec rem habet, nec quidquam rei ſucceſſit.

§. 8. V. Si b. f. poſſeſſor rem alienam ſibi donatam alii *donaverit*, non tenetur; niſi omnino ex officio aliquo tantundem donaturus fuerat. Tunc enim lucrum erit rei ſuæ peperciſſe.

§. 9. VI. Si b. f. poſſeſſor rem alienam oneroſo titulo partam quocunque modo *alienaverit*, non tenetur, niſi quatenus ex ea lucrum fecit.

§. 10. VII. B. f. poſſeſſor etiam *oneroſo partam titulo* rem alienam tenetur reſtituere, neque dominum id, quod erogavit, repoſcere poteſt, ſed illum duntaxat, abs quo eam rem accepit. Niſi quatenus dominus rei ſuæ poſſeſſionem recipere ſine aliquo impendio probabiliter non potuit, aut *μλιὼ ἔδον* ultro pollicitus fuerit.

§. 11. Qui rem alienam *invenit*, quam domino invito excidiſſe probabile ſit, non poteſt eam colligere hoc animo, ut eandem domino requirenti ſubtrahat. Ubi autem dominus non adparet, recte eandem ſibi retinere poteſt.

CAPUT

CAPUT XIV.

De Pretio.

§. 1. POst introducta rerum dominia cum nec omnes res ejuſdem eſſent naturæ, nec eundem uſum humanis neceſſitatibus præberent, nec cuivis iſta rerum copia adeſſet, quam ad uſus ſuos deſideraret, mature inter homines receptum res invicem *permutare*. Sed quia ſæpiſſime contingeret, ut res diſparis naturæ aut uſus eſſent transferendæ, ne alteruter ejuſmodi permutatione læderetur, neceſſum erat conventione hominum rebus aſſignari aliquam quantitatem, juxta quam res invicem comparari, exæquarique poſſent. Quod itidem contigit circa actiones, quas in aliorum uſum non gratis adplicare placuit. Ea quantitas nomine *pretii* venire ſolet.

§. 2. Dividitur pretium in *vulgare* & *eminens*. Illud ſpectatur in rebus, & actionibus ſeu operis in commercium venientibus, quatenus uſum aliquem & delectationem hominibus afferunt. Hoc autem cernitur in *nummo*, quatenus is omnium rerum & operarum pretium virtualiter continere, & communem iiſdem menſuram præbere intelligitur.

§. 3. Vulgaris pretii *fundamentum* in ſe eſt aptitudo illa rei vel operæ, qua aliquid mediate aut immediate conferre poteſt ad vitæ humanæ neceſſitates, & ad eandem commodiorem aut jucundiorem reddendam. Unde & res nullum plane uſum præbentes nullius pretii ſolemus vocare. Dantur tamen res quædam, vitæ humanæ utiliſſimæ, quibus nullum certum pretium impoſitum intelligitur; vel quia dominio ſunt & debent eſſe vacuæ, vel quia ad permutationem ſunt ineptæ, & inde à commerciis ſepoſitæ, vel quia in commerciis nunquam aliter quam appendix alterius rei conſiderantur. Sed & dum lex divina aut humana quaſdam actiones extra commercium removit, ſeu pro

mer-

mercede obire vetuit, pretium quoque iisdem detraxisse intelligitur. Sic quia superiores partes aëris, æther, ac cœlestia corpora, vastusque oceanus à dominio humano sunt exempta, nullum quoque pretium iisdem tribui potest. Sic liberi capitis nullum est pretium, quia liberi homines in commercium non veniunt. Sic apricum solis lumen, liquidus & purus aer, amæna facies terræ, quatenus oculos duntaxat pascit, ventus, umbra, & similia in se & seorsim considerata pretium non habent; cum homines talibus sine usu terræ frui nequeant. Quibus ipsis tamen magnum momentum inest circa augendum aut minuendum pretium regionum, fundorum, atque prædiorum. Sic illicitum est pretio addicere actiones sacras, quibus effectus aliquis moralis ex instituto divino est assignatus; quod crimen simoniam vocant. Et improbe justitiam venalem habet judex.

§. 4. Causæ autem cur unius & ejusdem rei pretium *intendatur vel remittatur*, quodque adeo una res alteri præferatur, licet hæc æqualem aut majorem usum in vita humana videatur obtinere, sunt variæ. Heic enim usque adeo necessitas rei aut nobilitas usus primas semper non tenent; ut potius vilissima esse cernamus, quibus vita humana minime carere potest: ideo quod non sine singulari Dei providentia uberem eorum proventum natura profundat. Ad *intensionem* igitur pretii inprimis facit raritas; quæ non parum commendatur, ubi ex locis remotis res afferuntur. Inde ambitiosa hominum luxuria multis rebus, queis vita humana commodissime carere poterat, enormia pretia posuit; pura unionibus & gemmis. Rerum vero quotidiani usus pretia potissimum intenduntur, quando raritas earundem conjungitur cum necessitate seu indigentia. Pretia rerum artificialium præter raritatem maxime solent intendere subtilitas & elegantia artis, quam præ se ferunt, quandoque & fama artificis, nec non operis difficultas, artificum & operariorum raritas, & similia. Operarum & actionum pretia intendit earundem difficultas, dexteritas, utilitas, necessitas; agentium

agentium raritas, dignitas, libertas; & denique ipſa artis opinio, nobilis an ignobilis illa habeatur. Contraria horum pretium *minuere* ſolent. Aliquando denique certa aliqua res non in univerſum, ſed à ſingulis magni æſtimatur ex peculiari affectu; puta quod ille, à quo iſta in nos profecta eſt, maximi à nobis fiat, exprimendoque ipſius affectui data ſit: aut quod eidem adſueverimus, aut quia inſignis caſus ſit monumentum, aut ejuſdem ope magnum malum declinaverimus, aut quia à nobiſmetipſis confecta ſit. Quod ſolet vocari *pretium affectionis*.

§. 5. Aſt circa *definienda ſingularium rerum pretia* alia quoque conſiderari ſueverunt. Et inter eos quidem, qui in naturali libertate invicem vivunt, rerum ſingularium pretia non aliter, quam contrahentium conventione definiuntur. Quippe cum illis liberum ſit alienare aut adquirere, quæ velint; nec communem habeant dominum, qui eorum commercia moderetur. Aſt in civitatibus duplici modo pretia rerum definiuntur; uno per decretum ſuperioris aut per legem: altero per communem hominum æſtimationem atque judicium, ſeu uſum fori, accedente conſenſu eorum, qui inter ſe contrahunt. Illud pretium aliqui ſolet vocare *legitimum*, hoc, *vulgare*. Ubi pretium legitimum in gratiam emtorum fuit conſtitutum, quod frequentius fit, non licebit venditoribus plus exigere; etſi minus accipere ſi velint non prohibeantur. Sic ubi merces operarum publice ſit taxata in gratiam eorum, qui conducunt, operario non licet plus exigere, etſi idem non prohibeatur minus accipere.

§. 6. Enimvero vulgare pretium, quod per leges non eſt taxatum, habet aliquam latitudinem, intra quam plus minuſvé dari, & accipi poteſt ac ſolet, prout inter contrahentes fuit conventum. Quod tamen fere ſequitur uſum fori. Ubi ſolet haberi ratio laborum & expenſarum, quas mercatores communiter faciunt in mercibus adportandis & tractandis; nec non quo modo ematur aut vendatur, in magna quantitate, an minutatim. Subito quoque interdum mutatur com-

commune pretium ex copia aut paucitate ementium, pecuniæ, aut mercium. Nam paucitas ementium & pecuniæ, (ex peculiari cauſa emergens) & mercium abundantia pretium minuit. Contra emturientium & pecuniæ copia, & mercium raritas pretium intendit. Sic & ad minuendum pretium facit, ſi merx quærat emtorem. Contra intenditur pretium, ubi venditor ultro rogatur, alias non venditurus. Denique & illud ſolet attendi, paratam quis pecuniam offerat, an in diem ſolutionem differat; cum etiam dies ſit pars pretii.

§. 7. Cæterum poſtquam à primæva ſimplicitate mortales deſciverunt, & varia quæſtus genera introduxerunt; facile fuit deprehenſum, ſolum illud vulgare pretium non ſufficere expediendis hominum negotiis, & gliſcentibus commerciis. Nam tunc ſola permutatione commercia conſtabant, & operæ aliorum locari aliter, quam mutua opera, aut re tradita non poterant. Atqui poſtquam tam varia deſiderare ad commoditatem aut voluptatem cœpimus, non ſane in proclivi fuerat cuivis ejuſmodi res poſſidere, quas alter ſuis mutare vellet, aut quæ alterius rebus æquivalerent. Et in civitatibus cultis, ubi cives variis ſtatibus diſtinguuntur, complura hominum genera dari neceſſum eſt, quæ, ſi ſimplex illa rerum & operarum permutatio vigeat, vitam plane non tueri, aut ægre queant. Hinc pleriſque gentibus, queis amplior vitæ cultus arridebat, viſum fuit conventione quadam *pretium eminens* certæ rei imponere, ad quod cæterarum rerum pretia vulgaria exigerentur, & in quo eadem virtualiter continerentur. Adeo ut interveniente illa re quamlibet rem venalem quis ſibi comparare, & quævis commercia, & contractus commode poſſet exercere.

§. 8. Hunc ad finem pleriſque gentibus placuit adhibere *metalla* nobiliora, & non admodum frequentia. Nam & illa ſubſtantiæ ſunt valde compactæ, ſic ut uſu non facile deteri queant, & diviſionem

sionem in plurimas minutas particulas admittant. Nec minus custodiæ & tractationi eadem sunt habilia; & propter raritatem multis aliis rebus æquivalere possunt. Etsi quandoque ex necessitate, & apud quasdam gentes ex defectu metallorum, aliæ res in vicem nummorum sint adhibitæ.

§. 9. In civitatibus porro *valorem nummi definire* est penes summos imperantes; & inde publica signa iisdem solent imprimi. Est tamen in eo definiendo respicienda communis gentium vicinarum, aut quibuscum nobis commercia exercentur, æstimatio. Alias enim, si nimis magnum nummis suis valorem posuerit civitas, aut si materiam eorum rite non temperaverit, commercia civium suorum cum extraneis, quæ quidem sola rerum permutatione absolvi non possunt, valde sufflaminabit. Et ob eam ipsam causam non temere in valore nummorum fieri debet mutatio, nisi summa reip. necessitas id exigat. Etsi glisscente auri argentique copia paulatim nummorum valor in comparatione ad pretium fundorum, & quæ inde dependent, soleat velut ultro decrescere.

CAPUT XV.

De Contractibus, qui pretia rerum præsupponunt, & fluentibus inde officiis.

§. 1. *Pactum* in genere est consensus & conventio duorum pluriumve in idem placitum. Sed quia frequenter simplicia *pacta contractibus* contradistinguuntur, id *discrimen* in hoc potissimum videtur consistere, quod *contractus* vocentur pacta, quæ circa res & actiones in commercium venientes versantur, adeoque dominia & pretia rerum præsupponunt. Sed quæ circa alia ineuntur conventiones, communi pactorum vocabulo insigniuntur. Etsi ex hisce quibus-

quibuſdam promiſcue pactorum & contractuum nomen tribuatur.

§. 2. Contractus dividi poſſunt in *beneficos* & *oneroſos*. Illi alteri contrahentium parti gratis commodum aliquod afferunt; uti eſt mandatum, commodatum, depoſitum. Hi utramque partem ad æquale onus adſtringunt; quippe in quibus eo fine præſtatur aut datur aliquid, ut tantundem recipiatur.

§. 3. Habent autem hoc omnes contractus oneroſi, ut in illis verſari *æqualitas* debeat, ſeu ut uterque contrahentium tantundem nanciſcatur; & ubi inæqualitas intervenerit, alteri, qui minus accepit, naſcatur jus ad poſtulandum, ut ſuppleatur, quod ſibi deeſt, aut ad contractum plane abrumpendum. Id quod tamen in civitatibus potiſſimum obtinet, ubi uſu fori, aut lege pretia rerum definiuntur. Ad hanc autem æqualitatem inveniendam & determinandam requiritur, ut utrique contrahentium res ipſa, circa quam contrahitur, cum ſuis qualitatibus, quæ aliquod momentum heic habent, ſint *cognitæ*. Unde &, qui per contractum rem in alterum eſt tranſlaturus, indicare debet non ſolum qualitates rei æſtimabiles, ſed & earundem privationes, & vitia. Citra hoc enim juſtum pretium conſtitui nequit. Etſi illas circumſtantias, quæ per ſe rem non contingunt, indicare non ſit neceſſum. Vitia autem utrinque jam nota non opus eſt indicari. Et qui ſciens vitioſi quid comparat, habet quod ſibi imputet.

§. 4. Eouſque autem in hiſce contractibus æqualitas eſt adhibenda, ut licet nihil diſſimulatum ſit; tamen ſi poſtea inæqualitas deprehendatur etiam citra culpam contrahentium, puta quod vitium latebat, aut in pretio ſit erratum, ea corrigenda ſit, & demendum ei, qui plus habet, addendumque minus habenti. Etſi ad declinandam multitudinem litium leges civiles vix aliis quam enormibus læſionibus

heic medeantur; de cætero quemque rerum ſuarum ſatagere jubeant.

§. 5. *Contractus beneficii* ſunt præcipue tres, mandatum, commodatum, & depoſitum. *Mandatum* eſt, quando quis gratis alterius negotia ipſo requirente & committente expedienda ſuſcipit. Idque contingit *duplici* ratione; vel ut præſcribatur ipſi modus rei expediendæ, vel ut is ejuſdem judicio ac dexteritati relinquatur. In hoc contractu uti ſumma cum fide & induſtria verſandum eſt; quippe cum nemo fere niſi amico, & de quo optime ſentit, mandet: ita contra mandatarius indemnis præſtari debet à ſumtibus in rem ſibi commiſſam factis; nec non à damnis, in quæ ex cauſa mandati incidit, & quæ proprie ex ipſa re mandata profluxerunt.

§. 6. *Commodatum* eſt, quo rei noſtræ uſum alicui gratis concedimus. In quo obſervandum, ut quis eandem rem ſolicite & ſumma cum diligentia ſervet, tractetque: neque ipſam ad alios uſus adhibeat, aut ulterius, quam commodans conceſſit: ac illæſam & prout accepta fuit reſtituat, niſi quantum per ordinarium uſum eidem deceſſit. Quod ſi res ad certum tempus fuerit conceſſa, & interea dominus eadem valde indigere incipiat, ex caſu aliquo tempore commodationis factæ non præviſo, repetenti eadem citra tergiverſationem erit reſtituenda. Quod ſi autem res commodata caſu fortuito & improviſo citra omnem commodatarii culpam perierit, ejus æſtimatio non erit ſolvenda, ubi eadem apud dominum quoque peritura fuerat. Alias æquum videtur commodatarium æſtimationem rei præſtare, quippe quam dominus amiſſurus non fuerat, ni adverſus alterum benignus fuiſſet. Vice verſa ſi quis utilium aut neceſſariarum impenſarum in rem commodatam factum ſit extra eas, quæ alias ipſi rei regulariter comitantur, id à domino refundendum erit.

§. 7. *Depoſitum* eſt, quo rem noſtram, aut a

nos quocunque modo ſpectantem alterius fidei committimus, ut eandem gratis cuſtodiat. In quo requiritur, ut res concredita diligenter cuſtodiatur, & quandocunque deponenti placuerit reſtituatur; niſi ea reſtitutio domino aut aliis noxia ſit futura, eoque intuitu differenda ſit. Neque licebit re depoſita citra conſenſum domino uti, ſiquidem ea ullo modo per uſum fiat deterior, aut domini interſit, ne ea conſpiciatur. Ac ſi quis hoc auſus fuerit, quævis pericula, in quæ res ob uſum incidit, præſtabit. Sed nec licet rem depoſitam exuere illis vinculis aut receptaculis, quibus à deponente fuit incluſa. Cum autem valde turpe ſit, & fœdius furto depoſitum abnegare; tum id multo eſt turpius, ſi quis inficiatus fuerit depoſitum miſerabile, ſeu quod ob periculum incendii, ruinæ, tumultus deponitur. Viciſſim à deponente ſumtus in rem depoſitam facti ſunt refundendi.

§. 8. Inter *contractus oneroſos* antiquiſſimus fere, & quo ante inventum nummum commercia expediebantur, eſt *permutatio*, qua utrinque res pro re æquivalente datur. Etſi & hodie poſt inventam pecuniam inter mercatores cumprimis uſitatum ſit genus permutationis, quo non ſimpliciter res inter ſe comparantur, ſed prius pecunia taxantur, & deinde loco pecuniæ invicem traduntur. Diverſum tamen negotii genus à contractu permutationis eſt *reciproca donatio*; in qua ut æqualitas obſervetur neceſſum non eſt.

§. 9. *Emptio venditio* eſt, qua pro pecunia rei alicujus dominium, aut eidem æquipollens jus adquiritur. Ejus ſimpliciſſimum genus eſt, ſi, ubi in pretium fuit conſenſum, emtor ſtatim pretium, venditor mercem offerat, tradatque. Frequenter tamen ita convenitur, ut merx quidem ſtatim tradatur, pretium autem poſt certum intervallum ſit ſolvendum. Aliquando ſuper pretio quidem convenitur, ſed ut traditio rei ſeu mercis ad certum terminum debeat fieri. Ubi æquitati conveniens videtur, ut ante elap-

ſum eum terminum res ſit periculo venditoris: ſed ſi poſt eum elapſum emtor in mora fuerit, quo minus eam ſibi tradi curarit, emtori deinceps res peribit. Solent & emtionis venditionis contractui varia pacta adjici: uti eſt *addictio in diem*, qua res ita venditur, ut liceat venditori meliorem conditionem, ab altero intra certum tempus oblatam, acceptare. Item *lex commiſſoria*, quando ita convenit, ut ſi ad certum diem pretium non ſolvatur, res ſit inemta. Item *retractus*, ſeu pactum de retro vendendo, quod vel ita concipitur, ut ſi pretium intra certum tempus, aut quandocunque offeratur, emtor rem teneatur venditori reſtituere: vel ut ſi res offeratur, venditor pretium teneatur reſtituere; vel ut ſi emtor ultro ſit iterum venditurus, prior venditor ad emendum præ cæteris admittatur: quod etiam dicitur jus protimiſeos. Sic & frequens eſt, ut ex prædiis venditis aliquam ſibi particulam, aut certum ejus uſum *recipiat* venditor. Eſt quoque emtionis genus, quod vocant *per averſionem*, quando multæ res diſparis pretii non ſigillatim æſtimatæ, ſed conjunctim & velut confuſe taxatæ emuntur. In eo modo venditionis, quæ vocatur *auctio*, res denum illi addicitur, qui ex pluribus licitantibus plurimum obtulerit. Eſt denique & genus emtionis quo non certa res, ſed probabilis tantum *ſpes* emitur; cui aleæ quid eſt admixtum: ſic ut neque emtor, ſi ſpes fefellerit, neque venditor, ſi ea multum ſupra fuerit, queri debeat.

§. 10. *Locatio conductio* eſt, qua pro mercede alicui uſus rei, aut opera addicitur. In qua licet regulariter in anteceſſum de mercede ſoleat conveniri: tamen ſi quis citra definitam prius mercedem alteri operam aut uſum ſuæ rei addixerit, cenſetur id expectare, quantum communis uſus, aut conductoris æquitas tulerit. Circa hunc contractum obſervandum, ſi res locata, plane perierit, ex eo tempore conductorem ad mercedem ſeu penſionem non amplius teneri. Quod ſi res locata certum ac definitum habeat

habeat uſum, uti dominus eam præſtare debet, quo ei uſui ſit idonea: ita ſi illa detrimenti quid ceperit, conductor de penſione detrahit, quantum uſui rei deceſſerit. Sed ſi rei locatæ proventus ſit incertus, & aliquid aleæ contineat, uti exuberans proventus conductoris lucro, ita malignus ejuſdem damno eſt: nec ſtricto jure de penſione ob ſterilitatem quidquam detrahendum; præſertim cum unius anni ſterilitas alterius ubertate ſoleat penſari. Niſi caſus, qui proventum interceperint, rariores fuerint, & de quorum alea in ſe ſuſcipienda conductor non cogitaſſe præſumitur. Hos enim ad penſionem minuendam aut remittendam valere utique æquum eſt. Cæterum uti qui rem aliquam alteri locavit, præſtare tenetur, ut ipſa uſui ſit habilis, impenſaſque neceſſarias tolerare: ita conductor ad boni patrisfamilias modum eadem uti, & quæ ipſius culpa perdita fuerunt reſtituere debet. Et qui opus faciendum conduxit, quod ſua culpa corruptum eſt, itidem præſtat. Qui momentaneam ſuam operam alicui locavit, ubi eam quocunque caſu præſtare impeditus fuerit, mercedem petere non poteſt. Sed qui continuam alicujus operam conduxit, ubi is morbo aut alio caſu per modicum tempus ad operam inutilis fuerit factus, inhumaniter ipſum vel plane ſua functione dejicit, vel de penſione quid eidem detrahit.

§. 11. In contractu *mutui* datur alicui res fungibilis ea lege, ut is poſt intervallum idem genus reddat in eadem quantitate & qualitate. Vocantur autem res, quæ mutuo ſolent dari *fungibiles*, ſeu quæ functionem in ſuo genere recipiunt ideo, quia quodlibet ex iſto genere vicem alterius ita ſubire poteſt, ut qui ex eodem genere, eadem quantitate & qualitate receperit, idem quod dedit recepiſſe dicatur. Eædem quoque res pondere, numero, & menſura determinantur, & ſpecificantur: quo reſpectu etiam quantitates ſolent adpellari, ſpeciebus contradiſtinctæ. Cæterum datur aliquid mutuo vel gratis, ita

ut non plus, quam datum fuit, recipiatur; vel cum aliquo emolumento, quod *uſuræ* vocabulo inſignitur. Quæ nihil habet naturali juri repugnans, ſiquidem fuerit modica, & reſpondens lucro, quod alter ex pecunia, aut alia re credita facit; meoque damno, aut lucro ceſſanti, quod ex abſentia rei meæ capio; & ubi non exigatur ab hominibus tenuibus, apud quos mutuum vicem eleemoſynæ ſubit.

§. 12. In contractu *ſocietatis* duo pluresve inter ſe pecuniam, res, aut operas conferunt eo fine, ut quod inde redit lucri inter ſingulos pro rata dividatur; & ſi quid damni capiatur, id ſimili modo à ſingulis pro rata feratur. In qua ſocietate uti officii eſt fidem & induſtriam adhibere; ita ex illa intempeſtive & in fraudem ſocii diſcedi non debet. Cæterum ſocietate ſoluta quilibet poſt detractum lucrum aut damnum, quantum intulit, recipit. Quod ſi autem unus pecuniam aut rem, alter operam contulerit, videndum eſt, quo modo facta ſit collatio. Quando enim alterius opera tantum verſatur circa iſtius pecuniam aut rem tractandam aut diſtrahendam, partes lucri ita definiuntur, prout ſeſe pecuniæ aut rei emolumentum ad pretium operæ habet, & ſors ſalva eſt ac perit ei, qui contulit. Quando autem opera impenditur ad meliorandam rem ab altero collatam, iſte pro ratione melioris in ipſa quoque re partem habere intelligitur. Aſt ubi omnium bonorum ſocietas eſt inita, ſinguli ſocii uti quæ lucrantur fideliter conferre debent; ita contra ex communi maſſa pro ratione conditionis ſuæ ſinguli ſuſtentandi. Soluta autem ſocietate diviſio bonorum fit pro ratione eorum, quæ ſinguli in ſocietatem initio intulerunt; non attendendo, per cujus bona ſocietati lucrum aut damnum provenerit; niſi aliter ſit conventum.

§. 13. Dantur quoque complures *contractus, qui aleam continent.* Quos inter referre poſſis *ſponſiones*, quando eventus alicujus, nondum utrinque notorii, exiſten-

exiſtentiam alter affirmat, alter negat, certo pretio utrinque depoſito, quod illi cedat, cujus aſſertioni eventus congruere deprehenſus fuerit. Huc pertinent omnia *ludorum* genera, in quibus aliquo pretio certatur. Inter quos tamen minus aleæ habent, qui certamen ingenii, dexteritatis, ſolertiæ aut roboris continent. In quibuſdam ingenium & alea pari vigore ſeſe exſerit. In aliis denique alea prædominatur. Etſi rectorum civitatis ſit diſpicere, quouſque ex uſu publico aut ſingulorum ſit, ejuſmodi contractus tolerari. Huc ſpectat lotaria, quando plures de re, quam collatitia pecunia emunt, poſt ſorte decernunt, cui ſoli ea tota debeat cedere. Item *olla fortunæ*, quando, dejecto in urnam certo teſſerarum ſeu ſchedularum numero inſcriptarum & inanium, pretio redimitur facultas eaſdem extrahendi, ita ut extrahens id accipiat, quod illarum inſcriptio præ ſe fert. Hiſce contractibus affinis eſt *aſſecuratio*, ſeu contractus periculi avertendi & præſtandi, quo quis certa pecunia accepta in ſe ſuſcipit & præſtat pericula, quæ ſubituræ ſunt merces in alia loca tranſportandæ; ita ut ſi has interire contigerit, aſſecurator earundem pretium domino reſtituere teneatur.

§. 14. Ad majorem firmitatem & ſecuritatem contractibus frequenter ſolent adjici *fidejuſſiones* & *pignora*. In *fidejuſſione* alius homo, qui creditori idoneus judicatur, principalis debitoris obligationem velut in ſubſidium in ſe ſuſcipit, ita ut niſi iſte ſolvat, hic ipſius vices ſubeat; ut tamen, quod erogavit, à principali debitore ipſi refundi debeat. Etſi autem ad majorem ſummam fidejuſſor, quam debitor principalis teneri non poſſit, non tamen repugnat iſtum, quam hunc arctius teneri; quippe cum huic plus, quam illi, fidei fuerit habitum. Naturaliter tamen principalis debitor prius, quam fidejuſſor eſt appellandus, niſi hic iſtius obligationem plane in ſe receperit; qui expromiſſor vocari ſolet. Quod ſi plures pro uno fidejuſſerint, pro rata duntaxat erunt

singuli conveniendi; nisi forte quis eorum solvendo non sit, aut ejusdem conveniendi non detur facultas. Tunc enim reliqui hujus portione onerabuntur.

§. 15. Sæpe quoque solet creditori in securitatem crediti tradi aut assignari à debitore certa quæpiam res, *pignoris* aut *hypothecæ* nomine, quousque illud fuerit exsolutum. Cujus finis est non solum, ut debitor ad solvendum urgeatur desiderio rei suæ recuperandæ: sed & ut in promtu sit, unde sibi solvatur. Inde & regulariter pignora tanti aut majoris esse solent, quam ipsum debitum. Cæterum res, quæ pignori opponuntur, sunt vel *fructuosæ*, vel *steriles*. Circa priores sæpe adjici solet pactum ἀντιχρήσεως, seu ut creditor loco usuræ fructus istius pignoris percipiat. Circa posteriores autem *lex commissoria*, ut nempe pignus cedat creditori, ubi intra certum tempus solutio non sit facta. Id quod naturaliter iniquum non est, ubi pignus pluris non est, quam debitum, & usuræ intermedii temporis, aut si quod excedit domino restituatur. Uti autem creditor pignus solutione facta debet restituere: ita interea non minorem, quam propriis rebus illi custodiam debet: & ubi pactum antichreticum non accesserit, sitque talis res, quæ usu atteratur, aut si debitoris ullo modo interfit, invito hoc eadem uti non potest. Differt hypotheca à pignore, quod hoc constituatur rei traditione; hæc autem re non tradita constat nuda assignatione rei inprimis immobilis, ex qua solutione non facta creditor suo credito potiri queat.

§. 16. Cæterum quænam contrahentium sint officia, ex fine & natura horum contractuum liquido adparet.

CAPUT

CAPUT. XVI.

Quibus modis ſolvantur obligationes, quæ ex pactis oriuntur.

§. 1. INter modos ſolvendi obligationes, ex pactis oriundas, quibuſque adeo officia inde promanantia plane expirant, maxime naturalis eſt *expletio* aut ſolutio *ejus, de quo fuit conventum.* Ubi licet regulariter is, qui debet, ſolvere teneatur: tamen ſi præſtatio fiat ab alio nomine ejus, qui obligationem contraxit, hæc diſſolvitur; ſiquidem alias nihil interſit, abs quo expletio fiat. Ita tamen ut qui pro altero animo non donandi ſolvit, ab hoc quod erogavit repetere queat. Solvendum præterea ei cui debetur, aut quem hic delegavit, ut ipſius nomine debitum recipiat. Et denique illud ipſum præſtandum, aut ſolvendum, de quo conventum fuit: non aliud ejus loco, integrum non mutilum, non pars duntaxat, non diviſum, loco itidem & tempore convento. Etſi ſæpe humanitas creditoris aut impotentia debitoris ſubigat terminum ſolutionis prorogare, aut diffindere, vel etiam aliud pro alio accipere.

§. 2. Tolluntur quoque obligationes *compenſatione*, quæ eſt crediti & debiti inter ſe contributio, ſeu quando debitor ideo liberatur, quia eidem ipſe creditor rem ejuſdem generis, & quæ tantidem eſt, viciſſim liquido debet. Cum enim inprimis in rebus fungibilibus tantundem ſit idem; & vero ubi mutuum eſt debitum, mihi ſtatim tantundem eſſet reddendum, atque ipſe accepi: igitur declinandis inutilibus ſolutionibus commodiſſimum eſt utrumque ſuum retinendo ſolutione defungi. Patet autem compenſari proprie poſſe res fungibiles ejuſdem generis, quarum ſolvendarum tempus præſens eſt, aut præteriit: non aliæ res aut præſtationes diverſæ naturæ: niſi forte illæ

illæ utrinque in ſui æſtimationem, ſeu in pecuniam reſolvantur.

§. 3. Tollitur quoque obligatio *condonatione* ſeu remiſſione ejus, cui quid debebatur, & cujus intereſt obligationem fuiſſe expletam. Ea ſolet fieri vel expreſſe per adhibita ſigna conſenſum teſtantia; puta, data acceptilatione, redditis aut abolitis chirographis: vel tacite, ſi quis ipſe impediat, aut in cauſa ſit, quo minus, quod ſibi debetur, poſſit præſtari.

§. 4. Solent quoque ſolvi obligationes, quæ utriuſque partis præſtatione conſtant, re adhuc integra, *mutuo diſſenſu*; niſi leges poſitivæ id prohibuerint. Ubi autem ab altera parte jam quid ſit præſtitum, accedat oportet vel hujus condonatio, vel ut alia ratione id ſarciatur.

§. 5. Præterea non tam ſolvitur, quam *abrumpitur* obligatio alterius partis *perfidia*. Quando enim unus non præſtat, de quo eſt conventum, neque alter tenetur præſtare, quod intuitu iſtius præſtationis recepit. Nam capita præſtandorum in pactis priora poſterioribus inſunt per modum conditionis, quaſi ita dictum foret; præſtabo, ſi tu præſtiteris prius.

§. 6. Expirant quoque obligationes, quando *ſtatum*, in quo eædem unice fundabantur, *mutaverit* vel ille, qui præſtare, vel is, cui præſtari debebat.

§. 7. Ipſo *tempore* expirant obligationes, quarum duratio à puncto aliquo temporis ſuſpenſa fuit; niſi expreſſa aut tacita partium conventione illa prorogata fuerit. Neceſſum eſt tamen, ut intra illud tempus facultas exigendi obligationem extiterit.

§. 8. *Morte* denique ſolvuntur obligationes in perſona alicujus radicatæ, ſubjecto quippe ſublato accidentia quoque extingui neceſſum eſt. Sæpe tamen in ſuperſtitibus defunctorum obligatio continuatur. Idque vel quia ſuperſtes ex officio pietatis,

aut

aut alias abrationes defuncti obligationes explendas in ſe ſuſcepit; vel quia ex defuncti bonis obligationi erat ſatisfaciendum, quæ cum iſto onere in hæredem tranſierunt.

§. 9. Per *delegationem* ſubſtituit quis creditori ſuo conſentienti debitorem ſuum, ut hic loco ipſius debitum ſuum exſolvat. Ubi creditoris quidem conſenſus requiritur, non autem tertii iſtius debitoris, quem etiam ignarum & invitum alteri volenti delegare poſſum. Nam nihil intereſt, utri quis ſolvat: multum autem, à quo quis debitum exigat.

CAPUT XVII.

De Interpretatione.

§. 1. ITa quidem eſt, ut neque in illis, quæ imperio injunguntur, quis ulterius obligetur, quam hic voluit; neque ad quæ quis ultro ſeſe adſtringit, ulterius teneatur quam ipſe voluit. Quia tamen de voluntate hominis alter homo judicare non poteſt, niſi ex actibus & ſignis in ſenſus incurrentibus; inde demum *in id quilibet obligari in foro humano cenſetur, quod recta ſignorum interpretatio ſuggerit.* Unde tam ad leges quam ad pacta rite intelligenda, & exinde officio explendo plurimum prodeſt *regulas bonæ interpretationis circa verba* potiſſimum, tanquam communiſſimum ſignum, conſtitui.

§. 2. De *verbis popularibus* hæc eſt regula: verba regulariter intelligenda ſunt in proprio ſuo & famoſo ſignificatu, quem ipſis impoſuit non tam proprietas aut analogia grammatica aut derivationis conformitas, quam popularis uſus; quem penes arbitrium eſt, & jus, & norma loquendi.

§. 3. *Vocabula artium* explicanda ſunt ſecundum definitiones prudentum cujuſque artis. Quod ſi vocabula

cabula artium à diverſis diverſimode definiantur, ad lites præſcindendas facit, popularibus verbis exprimere, quid per eam vocem intelligamus.

§. 4. *Conjecturis* autem ad eruendum genuinum ſenſum opus eſt, ſi vel verba ſimplicia, aut verborum complexio ſint *ambigua*; aut ſi partes quædam orationis ſibi invicem *videntur repugnare*, ut tamen dextra explicatione adhibita conciliari invicem poſſint. Nam ubi certa & manifeſta eſt repugnantia, poſterius derogabit prioribus.

§. 5. Conjecturæ voluntatis, rectique ſenſus in ſermone ambiguo aut intricato petuntur potiſſimum *ex ſubſtrata materia*, *ex effectu*, & *conjunctis*. Circa *materiam* hæc eſt regula: verba regulariter ſunt intelligenda ſecundum ſubſtratam materiam. Nam ſemper illi, qui locutus eſt, materia, de qua ſermo inſtitutus eſt, ob oculos verſari præſumitur; ideoque ſemper ad eandem ſententia verborum attemperanda.

§. 6. De *effectu & conſequentibus* hæc eſt regula: Ubi verba crude & ſimpliciter accepta vel nullum, vel abſurdum aliquem effectum poſt ſe eſſent tractura, à receptione ſenſu paulisper deflectendum, quatenus nullitatis aut abſurditatis vitandæ neceſſitas requirit.

§. 7. Ex *conjunctis* validiſſimæ ſumuntur conjecturæ; quia regulariter quilibet ſibi conſtare præſumitur. *Conjuncta* ſunt vel *loco*, vel *tantum origine*. De prioribus hæc eſt regula: ſi ſenſus in ejuſdem ſermonis loco aliquo plane & perſpicue ſit expreſſus, obſcuriores locutiones ex illis planis ſunt interpretandæ. Cui vicina eſt altera: In omni ſermone interpretando accurate ad antecedentia & conſequentia eſt attendendum, quibus interjecta attemperari & reſpondere præſumuntur. De poſterioribus autem iſta habetur regula: Unius & ejuſdem hominis obſcurum dictum interpretandum eſt ex ipſius dictis clarioribus, licet alio tempore & loco pro-

prolatis; nisi manifeste adpareat, ipsum sententiam mutasse.

§. 8. Plurimum quoque prodest ad verum sensum investigandum, in legibus comprimis, inspicere *rationem legis*, seu causam & respectum illum, qui ad legem ferendam latorem moverit: inprimis ubi constat, unicam eam legis rationem fuisse. De qua hæc regula est: Illa interpretatio legis est sequenda, quæ rationi legis congruit; & contra rejicienda, quæ ab eadem discrepat. Item, cessante ratione legis unica & adæquata, cessat ipsa lex. Verum ubi plures ejusdem legis fuerint rationes, non statim una cessante tota lex cessat; cum reliquæ rationes ad ejus vim sustinendam sufficere possint. Sæpe quoque sola voluntas legislatoris sufficit, utut ratio legis lateat.

§. 9. Observandum præterea est, multa vocabula habere plures una *significationes*, alteram *laxiorem*, alteram *strictiorem*. Sed & aliam *materiam* esse *favorabilem*, aliam *odiosam*, aliam *mixtam*. *Favorabile* est, quod utriusque partis æqualem facit conditionem, quod communem utilitatem spectat, quod actus quoslibet conservat, quod pacem promovet, &c. *Odiosum* est, quod unam duntaxat partem, aut unam magis quam alteram gravat, quod pœnam in se continet, quod actum reddit irritum aut priora immutat, quod bellum promovet. *Mixtum est*, v. g. si quod priora quidem immutet, sed pacis tamen causa. De istis hæc est regula: Favorabilia latius, odiosa strictius interpretanda.

§. 10. Dantur quoque conjecturæ aliunde quam ex verbis ortæ, quæ efficiunt, ut *interpretatio* quandoque fit *extendenda*, quandoque *coarctanda*. Esi factius dentur rationes, quæ suadeant interpretationem coarctari, quam extendi. Potest igitur lex ad casum, qui in lege non exprimitur, extendi, si constet, rationem, quæ in illum casum quadrat, unicam fuisse, quæ legislatorem moverit, eamque ab ipso consi-

de-

sideratam fuisse in sua generalitate, & ut æquipollentes quoque casus complecteretur. Sed & extendi lex debet ad illos casus, qui in fraudem legis ab hominibus prave solertibus inveniuntur.

§. 11. Ut autem verba generaliter posita *restringantur*, contingit aut ex *defectu voluntatis originario*, aut ex *casus emergentis cum voluntate repugnantia*. Quod aliquis ab initio quid noluisse præsumatur, intelligitur 1. ex *absurdo*, quod alias inde sequeretur; id quod nemo sanus voluisse judicatur. Inde verba generalia sunt restringenda, in quantum alias absurditas inde erat emersura. 2. *Ex defectu rationis*, quæ unice ipsius voluntatem movit. Inde sub generali locutione non comprehenduntur casus, in quos ratio legis unica & adæquata non quadrat. 3. *ex defectu materiæ*, de qua semper is, qui loquitur, cogitasse censetur. Inde & ad eandem verba generalia semper sunt attemperanda.

§. 12. Quod autem casus, qui postea emergit, cum voluntate ejus, qui aliquid constituit, pugnet; id deprehenditur vel *ex naturali ratione*, vel *ex aliquo signo voluntatis*. Prius contingit, si ab æquitate foret discedendum, nisi certi casus ab generali lege eximerentur. Est quippe *æquitas* correctio ejus, in quo lex deficit ob universalitatem. Quia enim non omnes casus prævideri, nec ob infinitam varietatem exprimi possunt; ideo quando generalia verba ad speciales casus sunt adplicanda, eximendi sunt illi casus, quos exemturus fuerat ipse legislator, si super tali casu consultus fuisset. Ad isthanc tamen æquitatem decurrere non licet, nisi sufficientia indicia subigant. Inter quæ certissimum est, si adpareat, violatam iri legem naturalem, ubi presse quis literam legis humanæ sequi velit. Proximum ab hoc, si non quidem illicitum sit verba legis sequi: sed tamen rem humaniter æstimanti id nimis videatur grave & intolerabile, sive in universum omnibus hominibus, sive certis personis; aut si finis tanti non videatur, qui tam care sit redimendus.

§. 13. De-

§. 13. Denique & ab universali locutione facienda est exceptio, si verba alio loco posita cum præsenti lege aut pacto non quidem directe pugnant; sed propter certam tempori circumstantiam heic & nunc simul observari nequeunt. Heic igitur certæ sunt observandæ regulæ, ut intelligi possit, *quænam lex in eo casu, ubi utrique simul satisfieri nequit, præferri debeat.* 1. Id quod permittitur tantum, cedit ei, quod jubetur. 2. Quod faciendum est certo tempore, præfertur ei, quod quovis tempore fieri potest. 3. Affirmativum præceptum cedit negativo; seu quando præcepto affirmativo satisfieri nequit, nisi violato præcepto negativo, istius impletio erit in præsens omittenda. 4. Inter conventiones, legesque cætera æquales, peculiaris præfertur generali. 5. Inter duas præstationes, certo temporis articulo invicem collisas, quarum una causas magis honestas aut utiles, quam altera habet, hanc isti cedere par fuerit. 6. Injuratum pactum cedit jurato, quando utrique simul satisfieri nequit. 7. Obligationi perfectæ cedit imperfecta. 8. Lex beneficentiæ, cæteris partibus, cedit legi gratitudinis.

Samuelis Pufendorfii,

DE OFFICIO HOMINIS & CIVIS.

LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

De Statu Hominum Naturali.

§. 1. PRoximum eſt, ut inquiramus de illis *officiis*, quæ homini obeunda incumbunt *ex diverſo ſtatu*, in quo in vita communi degere deprehenditur. Vocamus autem *ſtatum* in genere illam conditionem, in qua homines conſtituti intelliguntur ad certum genus actionum obeundum. Quem etiam peculiaria fere jura comitantur.

§. 2. *Status* hominum eſt vel *naturalis*, vel *adventitius*. *Naturalis triplici modo* conſiderari, ſolo prælucente rationis lumine, poteſt, vel in ordine *ad Deum Creatorem*, vel in ordine *ſingulorum hominum ad ſeipſos*, vel in ordine *ad alios homines*.

§. 3. *Priori modo* conſideratus naturalis ſtatus hominis eſt illa conditio, in qua à Creatore eſt conſtitutus, dum eximium præ cæteris animal eundem eſſe voluit. Ex quo ſtatu fluit, quod homo debeat autorem ſui agnoſcere, colere, & ipſius opera admirari; ac diverſa plane ratione à brutis vitam ſuam

am exigere. Inde & ei ſtatui *opponitur vita & conditio brutorum.*

§. 4. *Altero modo* ſtatum hominis naturalem conſiderare poſſumus, ſi animo fingamus, qualis ejuſdem conditio futura eſſet, ſi quilibet ſibi ſoli relictus foret ſine ullo adminiculo ab aliis hominibus accedente, & quidem poſita illa naturæ humanæ conditione, qualis jam deprehenditur. Quæ ſane miſerior quam cujuſvis belluæ videtur futura fuiſſe, ſi expendatur, quanta cum debilitate in hunc mundum jam egrediatur homo, periturus ſtatim ſine aliorum auxilio: & quam rudem ſit vitam idem exacturus, ſi nihil aliud cuique adeſſet, quam quod propriis viribus ingenioque debeat. Quin potius quod ex tanta imbecillitate adoleſcere potuimus, quod infinitis jam commoditatibus fruamur, quod animum corpuſque in noſtrum & aliorum uſum excoluimus, id omne ab auxilio aliorum hominum provenit. Et in hoc ſenſu ſtatus naturalis *opponitur vitæ per induſtriam hominum excultæ.*

§. 5. *Tertio modo* ſtatum hominis naturalem conſideramus, prout intelliguntur homines ſeſe invicem habere ex nuda illa & communi cognatione, quæ ex ſimilitudine naturæ reſultat ante pactum aliquod aut factum humanum, quo peculiariter unus alteri redditus fuit obſtrictus. Quo ſenſu in ſtatu naturali invicem vivere dicuntur, qui neque communem habent dominum, & quorum unus alteri non eſt ſubjectus, quique inter ſe neque beneficio neque injuria ſunt cogniti. Quo ſenſu ſtatus naturalis *opponitur ſtatui civili.*

§. 6. Hujus porro naturalis ſtatus indoles conſiderari poteſt vel prout *per fictionem* repræſentatur, vel prout *revera* exiſtit. Prius fit, ſi vel concipiamus ab initio aliquam multitudinem hominum ſimul extitiſſe ſine ulla unius ab altero dependentia; uti de Cadmæis fratribus in fabulis eſt: vel ſi fingamus, totum genus humanum jam ita diſſolutum eſſe, ut quilibet ſeipſum ſeorſim gubernaret, & nemo ulli

alio esset vinculo conjunctus, quam similitudine naturæ. Sed status naturalis, qui revera existit, id habet, ut quis cum aliquibus hominibus peculiari societate jungatur; cum reliquis autem omnibus nihil præter speciem humanam obtineat commune, nec alio nomine quidquam ipsis debeat. Qualis status jam inter diversas civitates ac cives diversarum rerum publicarum existit, & quondam inter patresfamilias segreges obtinebat.

§. 7. Manifestum quippe est universum genus humanum nunquam simul & semel in statu naturali extitisse. Qui enim ex protoplastis geniti erant, ex quibus quidquid est mortalium originem ducit, prout divinæ tradunt scripturæ, eidem potestati patriæ subjecti erant. Neque tamen eo minus postea status hicce naturalis inter quosdam homines emersit. Nam primi mortalium, ut orbem adhuc vastum implerent, & laxiorem sibi suisque pecoribus habitationem quærerent, relictis laribus paternis in diversa discesserunt, suamque sibi fere singuli mares familiam constituerunt. Inter quorum posteros itidem sese dispergentes, peculiare cognationis vinculum, & ortus inde affectus, paulatim exolevit, & commune tantum illud, ex similitudine naturæ resultans, remansit. Donec postea, cum genus humanum insigniter fuisset multiplicatum, deprehensis vitæ segregis incommodis, paulatim proximi quique cohabitantes in civitates coivere, minores primo, dein majores, ex pluribus minoribus ultro aut per vim coalitis. Quas inter civitates utpote nullo alio, quam communis humanitatis vinculo junctas, status naturalis utique existit.

§. 8. Eorum autem, qui in statu naturali vivunt, hoc est præcipuum *jus*, quod nemini præterquam Deo sint subjecti atque obnoxii. Quo respectu etiam ille status nomine *libertatis naturalis* venit; per quam quilibet citra antegressum factum humanum sui juris potestatisque, ac nullius hominis imperio subjectus esse intelligitur. Quo ipso & jam quivis cuivis

cuivis alteri, cui neque ipſe ſubjectus eſt, neque eundem ſibi ſubjectum habet, *æqualis* cenſetur. Cum porro homini lumen rationis ſit inſitum, quo prælucente actiones ſuas temperare poſſit; conſequitur, quemlibet, qui in naturali libertate vivit, in regundis ſuis actionibus à nullo mortalium dependere; ſed ex proprio judicio atque arbitrio omnia, quæ ſanæ rationi congruunt, agendi habere poteſtatem. Et cum homo ob communem inclinationem omnibus animantibus inſitam non poſſit non ad conſervationem ſui corporis vitæque nec non ad diſpellenda ea, quæ eandem deſtruere videntur, omnibus modis incumbere, mediaque ad eum finem adhibere; & vero in ſtatu naturali nemo habeat alterum hominem ſuperiorem, cui voluntatem judiciumque ſuum ſubmiſerit, inde in eo ſtatu quilibet ex proprio judicio definit de aptitudine mediorum, an ad conſervationem ſui conducant, nec ne. Nam ſi vel maxime alterius conſilium audiat, penes ipſum tamen eſt, an velit alienum conſilium probare vel non. Ut tamen iſthæc propria ſui gubernatio recte ſeſe habeat, requiritur, ut ea juxta dictamen rectæ rationis, legemque naturalem ſuſcipiatur.

§. 9. Status naturalis, utut libertatis nomine, & immunitatis ab omni ſubjectione inſigniter blandiatur; idem tamen antequam ab hominibus in civitates fuerit conceſſum, plurima habet adjuncta *incommoda*: ſive fingamus omnes & ſingulos in eo exiſtere, ſive conſideremus conditionem patrumfamilias ſegregum. Nam ſi animo concipias hominem etiam adulta ætate in hoc mundo deſtitutum ſolum, & ſine omnibus commodis & adminiculis, quibus vitam cultiorem & molliorem reddidit ſolertia hominum; videbis animal nudum, mutum, inops, famem radicibus & herbis, ſitim obvia aqua, injurias aëris antris utcunque diſpellens, feris beſtiis expoſitum, & ad cujuſvis occurſum pavidum. Paulo cultior vita potuit eſſe inter eos, qui in familiis ſegregibus degebant. Sed quæ tamen cum vita civili nullo modo

comparari poterat, non tam ob indigentiam, quam inter coercitas cupiditates familia ſic ſatis videtur poſſe diſpellere, quam quod ſecuritati parum ibi ſit conſultum. Et ut in pauca rem conferamus, in ſtatu naturali quiſque propriis tantum viribus protegitur; in civitate omnium: ibi fructus ab induſtria ſua nemini certus; heic omnibus: ibi imperium affectuum, bellum, metus, paupertas, fœditas, ſolitudo, barbaries, ignorantia, feritas: heic imperium rationis, pax, ſecuritas, divitiæ, ornatus, ſocietas, elegantia, ſcientiæ, benevolentia.

§. 10. In ſtatu porro naturali, ſi vel quis alteri ultro non præſtet, quæ ex pacto debet, aut ſi injuriam intulit, aut ſi alias controverſiæ quid oriatur; nemo eſt, qui pro imperio alterum ad præſtandum debitum, reparandamve injuriam adigere, litemque decidere poſſit; uti in civitatibus, ubi judicis communis auxilium implorare datur. Quia tamen non ob quamvis cauſam natura in bellum ruere permittit, etiam ubi quis de juſtitia ſuæ cauſæ ampliter ſit perſuaſus: igitur prius tentandum, num molliori via res poſſit componi, diſceptatione ſcilicet partium amica, & puro (non conditionato) compromiſſo, ſeu *provocatione ad arbitros*. Qui arbitri æquos ſeſe utrique parti gerere debent, & in ferenda ſententia nihil odio aut gratiæ dare, ſed unice merita cauſæ reſpicere. Quam ob rationem etiam non ſolet quis capi arbiter in ea cauſa, in qua ipſi commodi, vel gloriæ peculiaris ſpes major adparet ex victoria unius partis, quam alterius; adeoque ubi ipſius intereſt alterum quocunque modo cauſam obtinere. Hinc & nullum pactum aut promiſſum intercedere debet inter arbitrum & partes, cujus vi pronunciare in gratiam alterius teneatur. Quod ſi arbiter neque ex communi partium confeſſione, neque ex certis inſtrumentis aut indubiis rationibus & ſignis quid in facto ſit cognoſcere valeat, ex effatis *teſtium* id erit cognoſcendum. Quos licet ad verum dicendum lex naturalis, & plerunque juramenti

menti religio adſtringat : tutiſſimum tamen fuerit tales non admittere, qui erga alterutram partem ita ſunt affecti, ut conſcientiæ ipſorum cum gratia, odio, vindictæ libidine, alioque violento animi motu, aut etiam arctiore quadam neceſſitudine ſit velut luctandum : quibus ſuperandis non omnibus ſat conſtantiæ eſt. Aliquando etiam per communium amicorum interpoſitionem lites tolluntur ; quod merito inter ſanctiſſima officia habetur. Cæterum in hoc ſtatu exſecutionem, ubi ultro ab altero non præſtatur, quod debetur ſibi quiſque facit.

§. 11. Quanquam autem natura ipſa inter homines aliquam cognationem eſſe voluerit, cujus vi nefas ſit alteri homini nocere, & potius fas ſit cuivis aliorum commodis ſeſe diſpenſare : tamen inter eos, qui in naturali libertate invicem vivunt, hæc cognatio ſat debiles fere exſerit vires, ita ut quivis homo, qui non eſt noſter civis, ſeu quicum in ſtatu naturali vivimus, non quidem pro hoſte, ſed tamen pro *amico parum firmo* ſit habendus. Cujus rei ratio eſt, quod homines non ſolum ſibi invicem maxime poſſint, ſed & variis de cauſis ſæpiſſime velint nocere. Alios quippe pravitas ingenii, aut dominandi & ſuperflua habendi libido ad lædendos alios incitat ; alii modeſto licet ingenio, ſtudio ſe conſervandi, & ne ab aliis præveniantur, in arma ruunt. Multos ejuſdem rei deſiderium, ingeniorum contentio committit. Inde in iſto ſtatu tantum non perpetuæ vigent ſuſpiciones, diffidentia, ſtudium aliorum vires ſubruendi, libido alios præveniendi, aut ex aliorum ruina vires ſuas augendi. Ergo uti probi eſt hominis rebus ſuis contentum alios non laceſſere, nec aliena adpetere : ita cauti eſt, ſuæque ſalutis amantis ita omnes homines amicos credere, ut tamen iidem mox hoſtes fieri queant : ita pacem cum omnibus habere, quaſi quæ mox bello mutari poſſit. Qua de cauſa & felix habetur reſpubl. quæ etiam in pace de bello cogitat.

CAPUT II.

De Officiis Conjugalibus.

INter *ſtatus adventitios*, ſeu in quibus homo facto aliquo humano antecedente conſtituitur, primo loco venit *matrimonium*. Quod ipſum etiam eſt primum velut ſpecimen vitæ ſocialis, ſimulque generis humani ſeminarium.

§. 2. Circa hoc initio conſtat, ardentem illam ſexuum inter ſe proclivitatem à ſapientiſſimo Creatore inſtitutam non ad inanem voluptatem ſatiandam; quippe quæ unice ſpectata ſummam fœditatem & confuſionem in genere humano excitatura erat: ſed tum ut eo jucundior inter conjuges eſſet converſatio, tum ut eo lubentius homines propagationi ſobolis operam darent, ac moleſtias tolerarent, quæ iſtius ſuſceptionem atque educationem comitantur. Ex quo conſequitur, naturali legi repugnare omnem uſum membrorum genitalium, qui ab hiſce finibus abit. Quo nomine etiam vetita libido in diverſam ſpeciem, aut eundem ſexum ruens; quævis fœdæ pollutiones, & denique omnis commixtio ſive mutuo conſenſu ſuſcepta, ſive invitæ fœminæ intentata extra matrimonium.

§. 3. *Obligatio ad contrahendum matrimonium* conſiderari poteſt vel in *reſpectu ad totum genus humanum*, vel *in reſpectu ad ſingulos*. *Illa* in eo conſiſtit, quod propagatio ſpeciei humanæ haudquidquam ſit inſtituenda per vagos & ſolutos concubitus; ſed utique legibus connubialibus circumſcribenda, adeoque per matrimonium duntaxat exercenda. Citra hoc enim decora & bene diſpoſita inter homines ſocietas, vitæque civilis cultus intelligi nequit. *Singuli* autem ad matrimonium ineundum tenentur, quando commoda ſeſe ejus occaſio offert: quam tamen non ſola ætas generandique facultas abſolvit; ſed

ſed ut copia quoque ſit decentis conditionis, nec non facultas alendi uxorem & prolem naſciturам: ac ut mas quoque ſit idoneus ad gerendam perſonam patrisfamilias. Niſi tamen aliquis compoſitus ſit ad exigendum caſtum cælibatum, ſentiatque plus ſe utilitatis poſſe procurare humano generi, aut civitati cælibem, quam uxoratum; præſertim ubi nulla prolis penuria ſit metuenda.

§. 4. Inter eos, qui matrimonium inituri ſunt, intervenire ſolet & debet *pactum*, quod ubi *regulare* & *perfectum* fuerit, hiſce capitibus abſolvitur. *Primo*, quia vir, ab quo ut contractus incipiat utriuſque ſexus indoli magis congruit, propriam utique ſibi ſobolem intendit quærere, non ſuppoſititiam aut adulterinam; igitur *fidem dare viro debet fœmina*, quod nemini præterquam ipſi corporis ſui uſuram velit concedere. Quod itidem *à marito fœmina viciſſim* ſolet ſtipulari. *Deinde* cum nihil magis ab indole vitæ ſocialis & civilis abhorreat, quam vita vaga ac deſultoria, incerto lare, nulla fortunarum ſede; cumque communis ſobolis educatio commodiſſime inſtituatur conjunctis utriuſque parentis operis: ac cohabitatio continua plurimum contineat jucunditatis inter conjuges bene compoſitos, per quam etiam marito certius de caſtitate uxoris conſtare poteſt: igitur in id quoque fidem marito dat uxor, quod *viro continuo cohabitare*, adeoque in arctiſſimam vitæ ſocietatem, eandemque familiam cum ipſo coaleſcere velit. Cui ipſi & mutua promiſſio de tali invicem converſatione, qualem indoles ejus ſocietatis requirit, ineſſe intelligitur. Quia autem non ſolum naturali utr uſque ſexus conditioni maxime congruit, ut in matrimonio viri conditio ſit potior, ſed & maritus familiæ, à ſe utique conſtitutæ, caput ſit; conſequitur, ut uxor in negotiis matrimonium ac familiam concernentibus directioni mariti ſit obnoxia. Inde & mariti eſt de domicilio conſtituere; nec uxor iſto invito peregre abire aut ſecubare poteſt. Tale tamen imperium, quod

quod jus vitæ & necis gravemque coërcitionem, nec non plenam potestatem circa quævis bona uxoris disponendi comprehendat, ad essentiam matrimonii necessarium non videtur: sed istud ex peculiaribus pactis inter conjuges, aut ex legibus civilibus alicubi constituitur.

§. 5. Porro uti illud manifeste legi naturali repugnat, *unam mulierem pluribus viris simul* cohabitare: ita ut *unus simul duas pluresve uxores* habeat, apud plurimas gentes, & in ipso quondam Judaico populo receptum. Nihilominus si vel maxime à primæva matrimonii institutione in divinis literis tradita abstrahamus; ex ipsa tamen recta ratione constat, longe decentius juxta atque utilius esse unum unæ esse contentum. Id quod & usus omnium quas novimus gentium Christianarum à tot seculis comprobavit.

§. 6. Nec minus natura tam arctæ conjunctionis ostendit, *matrimonium debere esse perpetuum*, & non nisi alterutrius conjugum morte finiendum: nisi principalis pacti matrimonialis capita fuerint violata per adulterium, & malitiosam desertionem. Ob mores autem male compositos, & qui cum malitiosa desertione eundem non producunt effectum, separatio duntaxat quoad thorum & mensam inter Christianos recepta est, sine permissione ad secunda vota transeundi. Cujus inter alias etiam hæc ratio est, ne facultas divortii contumaciam morum alat; sed potius alterius conditionis desperatio ad commoditatem morum, mutuamque tolerantiam conjuges incitet. Cæterum ob violata pacti matrimonialis capita pars læsa tantum vinculo exsolvitur; quod in altero continuatur, siquidem pars læsa velit, & cum altero in gratiam redire dignetur.

§. 7. Contrahere licite matrimonium, ubi lex civilis non obstat, potest *quilibet cum qualibet*, si ætas corporisque constitutio matrimonio habilis adsit; *nisi impedimentum aliquod morale* obstet. Moraliter impe-

impeditur aliam conjugem adſciſcere, qui, quæve alteri jam conjugi junctus, junctave eſt.

§. 8. Sed & pro morali legitimarum nuptiarum impedimento habetur *arcta nimis ſanguinis aut affinitatis conjunctio*. Quo nomine etiam naturali lege nefariæ judicantur nuptiæ inter adſcendentes & deſcendentes in infinitum. Reliquæ autem nuptiæ in limite tranſverſo, puta cum amita & matertera, cum ſorore, item in affinitate cum noverca, ſocru, privigna, non ſolum lex divina, ſed & cultarum leges gentium, & Chriſtianorum conſenſus deteſtatur. Quin & multorum populorum leges civiles remotiores quoſdam gradus prohibuerunt, ad objiciendam velut ſepem prius dictis gradibus ſanctioribus, ne ad hos temerandos ita facile rueretur.

§. 9. Cæterum uti aliis contractibus atque negotiis certa quædam requiſita ſueverunt addere leges civiles, quæ ſi obſervata non fuerint, in foro civili pro validis non habentur: ita & circa matrimonium contingit, dum alicubi per leges civiles honeſtatis & boni ordinis cauſa *ſolennia* quædam requiruntur. Quæ licet extra jus naturale ſint; citra illa tamen, qui legibus civilibus ſubjiciuntur, legitimum matrimonium non contrahent; aut ſaltem ejuſmodi conjunctio effectus juſti matrimonii in civitate non habebit.

§. 10. *Officium mariti* eſt uxorem diligere, nutrire, regere, atque defendere: *uxoris* maritum amare, honorare, adjutorio eſſe ei non ſolum in generanda & educanda ſobole, ſed & in parte curarum domeſticarum capeſſenda. *Utrinque* autem indoles tam arctæ conjunctionis requirit, ut conjuges tam proſperæ quam adverſæ fortunæ ſint ſocii, & ſi qua alterutri calamitas obtingat, ab altero ſublevetur; nec minus ut prudenter mores ad concordiam invicem tolerandam attemperent; qua tamen in parte concedere magis uxoris eſt.

CAPUT

CAPUT III.

De Officiis Parentum & liberorum.

§. 1. EX matrimonio provenit proles in quam constituta est *potestas patria*, antiquissimum juxta ac sanctissimum genus imperii, quo parentum jussa venerari eorundemque præ se eminentiam agnoscere liberi tenentur.

§. 2. *Oritur* imperium parentum in liberos *duplici* potissimum de *causa*: *primo* quia ipsa lex naturalis, dum sociabilem esse hominem jussit, *parentibus curam liberorum* injunxit; quæ ut eo minus negligeretur, tenerrimum simul affectum in prolem natura iisdem implantavit. Isti curæ exercendæ requiritur potestas liberorum actiones dirigendi ad ipsorum salutem, quam ipsi propter judicii defectum nondum intelligunt. Deinde id imperium *tacito quoque consensu prolis* nititur. Nam recte præsumitur, si infans eo, quo sublatus est, tempore usum rationis habuisset, ac perspexisset, vitam se citra parentum curam ac junctum ipsi imperium servare non posse, lubenter illam in id consensuram, commodamque sibi educationem ab iisdem vicissim fuisse stipulaturam. *Actu* autem parentibus imperium in prolem constituitur, quando illam tollunt, nutriuntque & in commodum humanæ societatis membrum pro virili formandam suscipiunt.

§. 3. Cum autem ad generationem sobolis *non mater minus, quam pater* concurrat, adeoque physice proles utrique sit communis, disquirendum: *utrius jus in prolem sit potius*. Super qua re distincte pronunciandum. Si enim *extra matrimonium* proles sit generata, illa primo matris erit, quia pater hic nisi indicio matris cognosci nequit. Inter eos quoque, qui *in libertate naturali & supra leges civiles* degunt, pacto conveniri potest, ut non patris, sed matris jus potius sit. Sed *in civitatibus*, utique

utique per mares conſtitutis, cum regulariter contractus matrimonii à mare incipiat, & is caput familiæ ſit, potius erit jus patris: ſic ut licet prole matri utique reverentiam, gratumque animum debeat, juſſis tamen matris non obligetur, quæ quidem non iniquis patris præceptis repugnant. Defuncto tamen patre jus ipſius in prolem, ſaltem nondum adultam, *matri* videtur *accreſcere*; & hac ad ſecundas nuptias tranſeunte, *vitrico*, ſiquidem ipſe in fidem & curam naturalis parentis ſuccedat. Et qui deſertum, aut orbatum parentibus liberaliter educandum ſuſcipit, jure ſuo ab eo filialem obſervantiam exigere poteſt.

§. 4. Ut autem accurate intelligatur, quanta *parentum* ſit *in liberos poteſtas*, diſtinguendum eſt tum inter *patresfamilias ſegreges*, & *qui in civitatem ſubierunt*; tum inter *poteſtatem*, *quam habet genitor ut talis* & quam habet, *ut eſt caput ſuæ familiæ*. *Patri ut tali* cum ſit à natura injunctum, ut liberos bene educet, quo in commoda humanæ ſocietatis membra evadant, quouſque ipſi ſibi proſpicere queant: inde tanta eidem in liberos poteſtas conceſſa intelligitur, quanta ad hunc finem ſufficit. Quæ hautquaquam eouſque ſe extendit, ut parentes prolem intra materna viſcera latentem elidere, aut editam abjicere, necareque poſſint. Nam excitatur quidem ex ſubſtantia parentum ſoboles; ut tamen in æqualem conditionem humanam cum illis locetur, & injuriæ etiam ab ipſis parentibus capax ſit. Neque etiam hæc poteſtas ad jus vitæ & necis ex occaſione delicti exercendum videtur porrigi, ſed ad modicam duntaxat caſtigationem; quippe quæ verſatur circa ætatem teneram, in quam tam atrocia delicta, quæ morte ſint expianda, vix cadunt. Sed ſi tamen citra ſpem emendationis omnem diſciplinam pertinaciter adſpernetur puer, poterit domo patria ejici, atque abdicari.

§. 5. Iſthæc porro poteſtas, ita preſſe accepta, conſiderari poteſt *juxta diverſitatem ætatis in liberis*.

Nam

Nam *in prima ætate*, ubi immaturus adhuc rationis usus est, omnes liberorum actiones directioni parentum subjacent. Quo tempore, si quid bonorum ab aliis in impuberem transferatur, id parens loco filii acceptare, & administrare debet, ut tamen dominium ipsi filio adquiratur: etsi ut fructus patri cedant ad plenam usque filii ætatem æquissimum sit. Sic & quod ex filii labore lucri aut emolumenti provenit, id merito sibi pater vindicat; cui ex adverso filii nutritio & educatio incumbit.

§. 6. *In adulta ætate*, ubi liberi pleno quidem judicio præditi sunt, pars tamen adhuc familiæ paternæ existunt, distincte considerari potest potestas quam pater habet *ut genitor*, & quam habet *ut caput familiæ*. *Illa* cum commodam educationem & gubernationem liberorum pro scopo habeat, patet, adultos quoque liberos autoritatem parentum tanquam prudentiorum sequi debere. Et qui vult ex paternis bonis sustentari, ac in ea deinceps succedere necessum est, ut ad familiæ paternæ rationes sese attemperet; quam moderari utique penes patrem est.

§. 7. Cæterum *patres familiæ*, qui nondum in civitates successerant, in domo sua aliquod instar principum gerebant. Inde & liberi, in eorum familia adhuc hærentes, ipsorum imperium tanquam summum venerari debebant. Verum postea imperium istud familiare, (uti & alia jura,) ad usum & decus civitatum fuit attemperatum; & alicubi multum, alicubi parum de eo patribus fuit relictum. Inde observamus, in quibusdam civitatibus patres jus vitæ & necis, ex causa delicti exercendum, in liberos obtinuisse: in aliis id ipsum iis ademtum, ne forte parentes sua in liberos potestate in fraudem boni publici, aut ad iniquam istorum oppressionem abuterentur; aut ne ob mollitiem paterni affectus dissimularentur vitia, in exitium publicum eruptura, aut ne patri tam tristis sententiæ pronunciandæ necessitas imponeretur.

§. 8. Sed

§. 8. Sed ubi *proles familia paterna plane excessit*, & vel novam sibi familiam constituit, vel alteri adjungitur; potestas quidem patria solvitur, ut tamen semper pietatis & observantiæ debitum maneat; quippe fundatum in meritis parentum, quibuscum paria facere liberi nunquam aut rarissime creduntur. Et ista merita non in eo tantum consistunt, quod parentibus liberi vitam debeant, occasionem omnium bonorum; sed & quod laboriosam ac sumtuosam educationem eorum susceperint, qua eos in commoda humanæ societatis membra formarunt, ac sæpe de mediis vitam commode & copiose exigendi iisdem prospexerunt.

§. 9. Etsi autem parentibus obligatio educandi prolem à natura sit injuncta; id tamen non obstat, quo minus, utilitate prolis aut necessitate id exigente, ejusdem *administratio alteri commendetur*; ita tamen ut inspectionem sibi in istum delegatum parens reservet. Unde & pater non solum præceptoribus idoneis filii informationem recte committit; sed & eundem alteri adoptandum dare potest, siquidem exinde in filium aliquod sit emolumentum redundaturum. Et si nulla alia ratio sit prolem alendi, potius quam inopia extinguatur, pater eam oppignorare, aut vendere in tolerabilem servitutem potest, saltem sub lege retractus, ubi pater ad lautiorem fortunam pervenerit, aut quispiam ex cognatis istum redimere velit. Quod si autem parens per inhumanitatem prolem exposuerit & abjecerit, is qui eandem sustulerit atque educaverit, in paternum quoque jus succedet; ita ut iste alumnus filialem observantiam educatori suo debeat.

§. 10. Uti autem *pater prolem familia sua ejicere non debet*, educatione & auxilio istius adhuc indigentem, citra gravissimas causas: ita & proles non nisi cum bona patris venia ex ipsius familia excedet. Cæterum cum liberi matrimonii fere contrahendi occasione paternam familiam relinquant; & vero parentum utique interfit, cui proles sua jungatur,

tur, & ex quibus nepotes sibi proveniant: inde officium filiale utique requirit, ut *patris consensum hoc sequantur liberi*, nec eo invito conjugi socientur. Quod si tamen de facto invitis parentibus matrimonium contraxerint, & consummaverint liberi, jure quidem naturali id irritum non videtur; præsertim ubi familiam paternam non amplius isti onerare velint, & alias conditio non sit incecora. Inde si alicubi ejusmodi matrimonia habentur irrita, aut illegitima, id ex legibus civilibus est.

§. 11. *Officium parentum* in hoc præcipue consistit, ut liberos commode alant, corpusque & animum per dextram & cordatam educationem ita formant, quo idonea & utilia membra societatis humanæ & civilis fiant, probi, cordati, & bene morati. Item ut eosdem ad idoneum & honestum vitæ genus adplicent, & quantum ratio & occasio fert, fortunam ipsorum fundent & promoveant.

§. 12. *Liberorum* contra *debitum* est parentes honorare, i. e. reverentiam illis exhibere non externis tantum signis, sed multo magis interna æstimatione, tanquam autoribus vitæ, ac tantorum aliorum beneficiorum, iisdem obedire; pro viribus inservire, inprimis senio aut egestate confectis; sine consilio & autoritate eorum nihil magni momenti suscipere; & denique eorum morositatem, aut vitia, si qua inveniuntur, patienter ferre.

CAPUT IV.

De Officiis Dominorum & servorum.

§. 1. Postquam genus humanum multiplicari cœpisset, atque deprehensum fuisset, quam commode res domesticæ aliorum ministerio curari possent; mature introductum fuit, ut ad operas domesti-

meſticas obeundas *in familiam adſciſcerentur ſervi.* Quos *ab initio ultro* ſeſe obtuliſſe probabile eſt, inopia adactos, aut propriæ hebetudinis ſenſu; ſtipulatoſque ſibi perpetuam alimentorum & aliarum neceſſitatum præbitionem, in perpetuum hero ſua miniſteria addixiſſe. Dein cum bella paſſim increbeſcerent, apud plurimos populos receptum, ut quibus *bello captis* vita donata eſſet, ſervitio addicerentur, una cum prole, quæ deinceps ex ipſis eſſet proventura. Etſi apud multos populos nulla ejuſmodi ſervitus in uſu, ſed omnia munia domeſtica per mercenarios ad tempus conductos expediuntur.

§. 2. Prout autem ſunt *diverſi* velut *gradus ſervitutis*; ita & poteſtas herorum, & ſervorum conditio variat. *Mercenario temporario* dominus conventam mercedem; iſte huic viciſſim conventam operam debet. Et quia in eo contractu domini melior eſt conditio, ideo etiam ejuſmodi miniſter domino pro ratione dignitatis reverentiam exhibere tenetur; & ubi malitioſe aut negligenter opus fecerit, ejuſdem coercitioni eſt obnoxius; quæ tamen ad gravem corporis afflictionem, multo minus ad mortem, propria autoritate ſumendam, procedere nequit.

§. 3. Ejuſmodi autem *ſervo, qui ſeſe ultro alicui in perpetuum ſervitium addixit*, dominus perpetua alimenta, & quæ alia vitæ neceſſaria ſunt; ille huic viciſſim perpetuas operas, quaſcunque dominus præſcripſerit, præſtare debet, & quicquid ex illis provenit, domino fideliter conſignare. In quibus tamen virium & dexteritatis ſervi humaniter rationem habebit dominus, ne vires ipſius excedentem laborem cum aſperitate exigat. Caſtigationi quoque domini iſte ſubeſt non ſolum ad expellendam negligentiam in opere exſequendo; ſed & ut ipſius mores ad decus & tranquillitatem familiæ componantur. Non tamen invitus alteri vendi talis poteſt; quia ultro hunc & non alium dominum adſcivit; & ipſius intereſt, utri ſerviat. Si atrox delictum in alium extra familiam admiſerit, in civitatibus pœnæ

poteſtatis civilis ſubjacet; ubi familia ſegrex fuerit, expelli inde poterit. Sed ubi delictum in ipſam familiam ſegregem ſit admiſſum, á domino etiam per extrema coerceri poterit.

§. 4. In iſtos autem *ſervos*, *qui bello capti* fuerant, à pleriſque durius agi cœptum, quod hoſtilis adhuc iræ quid in eos ſupereſſet, & quia ipſi extrema nobis noſtriſque fortunis intentaverant. Quamprimum tamen inter ejuſmodi victorem victumque mutua fides circa conſociationem in familiam interceſſit, omnis antegreſſa hoſtilitas remiſſa cenſetur. Et tunc utique injuriam etiam taliter adquiſito ſervo facit dominus, ſi vel neceſſaria ad victum non ſuppeditet, vel citra rationem in eum ſæviat, multoque magis ſi citra condignum delictum eundem occidat.

§. 5. Circa illos quoque ſervos, qui bellica vi in eam conditionem fuerant abſtracti, nec non qui pretio emuntur, receptum, ut non ſecus ac aliæ res noſtræ in quemcunque placeret transferri, & ad inſtar mercium venire poſſent. Sic ut ipſum *corpus ſervi domini eſſe* intelligeretur. Ubi tamen humanitas jubet, ut nunquam obliviſcamur, ſervum utique hominem eſſe; adeoque nequaquam eum ita tractemus velut alias res noſtras, quibus pro lubitu uti aburique, eaſque deſtruere poſſumus. Et ubi talem ſervum alienare placet, ne iis data opera aut præter meritum addicatur, apud quos inhumana ipſum tractatio eſt mantura.

§. 6. Denique & id paſſim receptum, ut quæ ex ſervis parentibus naſcitur *proles*, ſervilis & ipſa ſit conditionis, pertineatque tanquam mancipium ad dominum matris. Id quod iſthoc argumento defenditur, quod cujus eſt corpus, ejus quoque par ſit fructum eſſe, qui ex eo corpore provenit. Et quia iſta proles naſcitura plane non erat, ſi dominus jure belli in parentem uſus fuiſſet. Et quia parens nihil habet proprii, nulla ratio prolem ejuſmodi alendi ſupereſt, niſi ex bonis herilibus. Cum igitur dominus

minus alimenta præbeat ejusmodi proli diu ante, quam ipsius opera utilis esse queat, & sequentes operæ sui temporis alimenta non multum fere excedant; effugere eidem servitutem invito domino non licebit. Manifestum tamen est, cum ejusmodi vernæ nulla sua culpa in servitutem perveniant, nullum esse prætextum, quare isti durius debeant tractari, quam conditio perpetuorum mercenariorum admittit.

CAPUT V.

De Causa impulsiva constituendæ civitatis.

§. 1. QUanquam vix sit jucunditatis quid atque commoditatis, quod per hactenus numerata officia, statusque obtineri non posse videatur; quare tamen mortales non contenti parvis illis, primisque societatibus magnas societates, quæ *civitatum* nomine veniunt, constituerint, jam investigandum restat. Ex hisce enim fundamentis deducenda est ratio officiorum, quæ statum hominum civilem comitantur.

§. 2. Heic igitur *non sufficit dixisse*; *hominem per naturam ipsam rapi ad societatem civilem*, ut citra eam nec possit, nec velit vivere. Sane enim cum apertum sit, hominem esse tale animal, quod seipsum & suam utilitatem quam maxime amat; necessum est, ut dum ultro societatem civilem affectat, aliquam utilitatem inde sibi proventuram respexerit. Et quanquam extra societatem cum sui similibus homo erat futurus animal longe miserrimum: tamen cum naturalibus desideriis & necessitatibus hominis per primas societates, & per officia ex humanitate, aut pactis præstita abunde potuerit satisfieri; non statim ex soci-

ſocialitate hominis inferri poteſt, ejus indolem præciſe ad ſocietatem civilem ferri.

§. 2. Id quod planius fiet, ſi conſideremus, quænam *conditio ex conſtitutis civitatibus* apud homines proveniat: quid requiratur, ut quis *vere* dici queat *animal politicum*, *i. e. bonus civis*: quid denique deprehendatur *in natura hominis*, *indoli vitæ civilis repugnans*.

§. 4. Qui *civis* fit, libertatis naturalis jacturam facit, ac imperio ſe ſubjicit, quod jus vitæ & necis complectitur; & cujus juſſu plurima facienda, abs quibus quis alias abhorrebat; & omittenda, quæ vehementer adpetebat. Pleræque etiam actiones ad bonum ſocietatis referendæ, quod ſæpe à bono ſingulorum videtur diſcrepare. Atqui ad hoc per inclinationes jam congenitas fertur homo, ut nemini ſubjectus eſſe, ut omnia ſuo agere arbitrio, ut proprio commodo in omnibus velificari velit.

§. 5. *Animal vere politicum*, i. e. *bonum civem* illum dicimus, qui juſſis imperantium promte paret, qui ad bonum publicum omnibus viribus committitur, ac poſt illud privatum bonum lubenter habet: imo qui nihil ſibi bonum credit, niſi idem bonum quoque ſit civitati; qui denique adverſus alios cives commodum ſeſe gerit. Atqui paucorum ingenia ultro ad hunc finem attemperata inveniuntur; maxima pars metu pœnæ utcunque continetur; multi per totam vitam mali cives, & animalia non politica manent.

§. 6. Denique *nullum homine animal ferocius*, aut indomitum magis & quod in plura vitia, pacem ſocietatis perturbare apta, ſit proclive. Præter deſideria enim cibi, veneriſque, quibus bruta quoque ſolent committi, multis homo agitatur vitiis, quæ bruta ignorant; uti eſt ſuperfluarum rerum inſatiabilis cupido, & ſæviſſimorum malorum ambitio. Vivax item nimis injuriarum memoria, & vindictæ ardor, longo poſt tempore adhuc gliſcens. Nec non infinita diſſimilitudo inclinationum & adpetituum, & cuique

cuique pro ſtudio ſuo extollendo pervicacia. Accedit, quod eo furore in proprium genus ſævire gaudeat homo, ut maxima pars malorum, quibus humana conditio vivit obnoxia, ab ipſo homine proficiſcatur.

§. 7. Genuina igitur & principalis cauſa, quare patresfamilias, deſerta naturali libertate, ad civitates conſtituendas deſcenderint, fuit; *ut præſidia ſibi circumponerent contra mala, quæ homini ab homine imminent.* Nam uti poſt Deum O. M. homo homini plurimum prodeſſe; ſic & idem non minus obeſſe poteſt. Et recte malitiam hominum, ejuſque remedium æſtimant, qui in proverbii vicem receperunt: niſi judicia eſſent unus alterum devoraret. Poſtquam autem per civitates in talem ſunt digeſti ordinem homines, ut à mutuis læſionibus tuti eſſe poſſent, ultro deinde conſecutum fuit, ut eo uberius fruerentur commodis, quæ ex hominibus in homines provenire apta ſunt; puta, ut moribus à puero imbuerentur commodioribus, & varias invenirent, atque excolerent artes, quibus vita humana copioſa & commoda fuit reddita.

§. 8. Illuſtrior adhuc fiet cauſa conſtituendæ civitatis, ſi conſideremus, *alia media non fuiſſe ſufficitura* reprimendæ hominum malitiæ. Quanquam enim *lex naturalis* præcipiat, ut ab omnibus injuriis inferendis homines ſeſe abſtineant: tamen ejus legis reverentia id præſtare non poteſt hominibus ut in libertate naturali ſatis tuto degere queant. Etſi enim forte dentur homines animo ita modeſto, ut ne impunitate quidem data alios violare velint; alii quoque metu proventuri inde mali cupiditates ſuas utcunque compeſcant: magna tamen ex adverſo eorum turba datur, quibus omne jus vile eſt, quotiens ſpes lucri arriſerit, & fiducia propriarum virium, aut ſolertiæ, qua repellere aut eludere læſos ſeſe poſſe ſperent. Quos uti nemo non cavere nititur, qui ſalutem ſuam amat: ita cautio illa commodius, quam ope civitatum obtineri nequit. Nam

utut aliqui mutuo fidem dederint de auxiliis invicem ferendis; ni tamen adsit aliquid, quo & judicia eorum uniantur, & voluntates firmiter adstringantur ad explendam fidem, frustra ab iisdem certum auxilium sibi quis promittit.

§. 9. Denique licet lex naturalis hominibus satis insinuet, non impune laturos, qui alios injuria affecerint: tamen neque *metus divini Numinis*, neque *conscientia morsus* sat validam deprehenduntur vim habere quorumvis hominum malitiæ coercendæ. Nam apud multos educationis & consuetudinis vitio vis rationis velut obsurdescit. Unde fit, ut illi præsentibus tantum immineant, futurorum parum curiosi; ac non nisi iis moveantur, quæ in sensus incurrunt. Cum autem vindicta divina lento fere pede soleat incedere; inde pravis mortalium præbetur occasio ad alias causas impiorum mala referendi; præsertim cum sæpe videant, improbis affatim adesse, queis vulgus felicitatem metitur. Accedit, quod stimuli conscientiæ, quæ facinus antecedunt, non ita validi videantur, quam qui idem subsequuntur, quando id, quod factum est, infectum amplius fieri nequit. Enimvero pravis cupidinibus reprimendis præsentaneum, & ad indolem dominum probe, attemperatum remedium in civitatibus reperitur.

CAPUT. VI.

De Interna Civitatum structura.

§. 1. PRoximum est, ut investigemus, qua ratione civitates sint extructæ, earundemque *interna compages* cohæreat. Ubi illud primo manifestum est, adversus mala ab hominum pravitate imminentia singulis hominibus neque locum aliquem, neque arma, neque animantia bruta commodius & efficacius præsidium potuisse suppeditare, quam *alii homi-*

homines, eorum autem vis cum in longe diſtantia non feratur, neceſſum erat *conjungi*, per quos finis iſte obtinendus erat.

§. 2. Nec minus conſtat, ejuſmodi ſecuritatem adverſus alios homines præſtare non poſſe duorum vel trium conſenſionem. Quia facile eſt, ut ad paucos hoſce opprimendos tot conſpirent, quot certiſſimam ſibi de illis victoriam ſpondere poſſint; quibus ſpes ſucceſſus & impunitatis fiduciam ad aggrediendum eſt datura. Igitur ad iſtum finem neceſſarium eſt, *inſignem hominum multitudinem* ſeſe conjungere; ut paucorum hominum ad hoſtes acceſſio non ſit ipſis conſpicui momenti ad victoriam.

§. 3. Inter multos iſtos, hoc fine coeuntes, oportet ut ſit *conſenſus circa adhibenda media ad eundem finem idonea*. Nam etiam multi, ni conſentiant inter ſe, ſed diſtracti ſententiis in diverſa tendant, nihil efficient. Aut licet ad tempus conſentiant, impellente aliquo affectu: mox tamen, prout mutabilia ſunt hominum ingenia & inclinationes, in diverſa abibunt. Et quamvis pacto inter ſe promittant, quod ad defenſionem communem vires ſuas ſint adplicaturi: tamen ne hoc quidem modo ad diuturnitatem iſti multitudini ſat cautum erit. Sed oportet, ut quid amplius accedat, ut qui ſemel ad pacem & mutuum auxilium cauſa communis boni conſenſerint, prohibeantur, ne poſtea, cum bonum ſuum privatum à publico diſcrepare viſum fuerit, iterum diſſentiant.

§. 4. Cæterum in humano ingenio *duo* potiſſimum occurrunt *vitia*, quæ impediunt, quo minus multi, ſui juris & abs ſe invicem non dependentes, diu in communem aliquem finem poſſint conſpirare. Unum eſt *diverſitas inclinationum & judicii* circa diſcernendum, quod ad finem eſt utiliſſimum: cui in multis eſt conjuncta *hebetudo* ad diſpiciendum, quæ ſententia ex pluribus ſit magis proficua, & *pervicacia* mordicus defendendi, quod ſemel utcunque arriſerit. Alterum eſt *torpor & averſatio* ultro faciendi, quod u-

tile eſt, ubi deſit aliqua neceſſitas, quæ tergiverſantes velint nolint ad officium faciendum ſubigat. Priori vitio occurritur, unitis in perpetuum voluntatibus omnium. Poſteriori autem, ſi conſtituatur aliqua poteſtas, quæ præſens & in ſenſus incurrens malum infligere poſſit communi utilitati reluctantibus.

§. 5. *Vniri multorum hominum voluntates* nulla alia ratione poſſunt, quam ſi unuſquiſque ſuam voluntatem voluntati unius hominis, aut unius conſilii ſubjiciat, ita ut deinceps pro voluntate omnium & ſingulorum ſit habendum, quicquid de rebus ad ſecuritatem communem neceſſariis ille voluerit.

§. 6. *Poteſtas* autem talis, quæ omnibus ſit *metuenda*, itidem inter multos homines nulla alia ratione conſtitui poteſt, quam ſi omnes & ſinguli ſeſe obligaverint, quod eo modo vires ſuas ſint adplicaturi, ſicut ille voluerit, in quem omnes virium ſuarum directionem reſignarunt. Ubi autem & voluntatum & virium unio facta fuerit, tunc demum multitudo hominum in validiſſimum corpus, civitatem nimirum, animatur.

§. 7. Porro ut civitas *regulari modo* coaleſcat, requiruntur *duo pacta*, & *unum decretum*. *Primo* enim omnium illi multi, qui in libertate naturali conſtituti intelliguntur, ubi ad civitatem faciendam congregantur, inter ſe *ſinguli cum ſingulis pactum* ineunt, quod in unum & perpetuum cœtum coire velint, ſuæque ſalutis ac ſecuritatis rationes communi conſilio ac ductu adminiſtrare; uno verbo, quod velint concives mutuo fieri. In quod pactum omnes & ſinguli ut conſentiant neceſſum eſt; & qui non conſenſerit, is extra futuram civitatem manet.

§. 8. *Poſt* iſthoc pactum oportet, ut *decretum* fiat, *qualis forma regiminis* ſit introducenda. De hac enim antequam conſtitutum ſit, nihil conſtanter poterit expediri, quod ad communem ſalutem faciat.

§. 9. Poſt

§. 9. Poſt decretum circa formam regiminis *altero pacto* opus eſt, quando conſtituuntur ille vel illi, in quem vel quos regimen naſcentis civitatis conferur: quo quidem pacto hi ad curam communis ſecuritatis & ſalutis, reliqui ad obſequium his præſtandum ſeſe obſtringunt; quo ipſo etiam omnes ſuam voluntatem ſubjiciunt voluntati iſtius vel iſtorum, ſimulque ſuarum virium uſum & adplicationem ad communem defenſionem eidem vel iiſdem deferunt. Atque hoc pactum ubi rite fuerit exſecutioni datum, tunc demum perfecta & regularis civitas inde provenit.

§. 10. Civitas ita conſtituta ad modum *unius perſonæ* concipitur, unoque *nomine* ab omnibus particularibus hominibus diſtinguitur, atque dignoſcitur; habetque peculiaria *jura*, ac *res* proprias, quæ neque ſinguli, neque multi, neque adeo omnes ſimul citra eum, qui ſummum habet imperium, ſeu cui regimen civitatis commiſſum, ſibi aſſerere poſſunt. Unde civitas *definitur*, quod ſit perſona moralis compoſita, cujus voluntas ex plurimum pactis implicita & unita, pro voluntate omnium habetur, ut ſingulorum viribus & facultatibus ad pacem & ſecuritatem communem uti poſſit.

§. 11. Exſerit autem ſeſe *voluntas civitatis*, tanquam principium actionum publicarum, vel *per unum hominem*, vel *per unum concilium*, prout in illum aut hoc ſumma rerum fuit collata. Ubi penes unum hominem eſt regimen civitatis, civitas velle intelligitur, quodcunque iſti homini, (cui ſanam rationem conſtare præſupponitur,) placuerit, & quidem circa negotia, quæ ad finem civitatum ſpectant.

§. 12. Verum ubi regimen civitatis collatum eſt in concilium, ex pluribus hominibus conſtans, quorum quiſque ſuam retinet voluntatem naturalem; regulariter illud habetur pro voluntate civitatis, in quod conſenſerit *major pars* hominum, ex quibus concilium componitur; niſi expreſſe ſtatutum ſit, quota pars concilii conſentiens requiratur ad repræſentandam volun-

voluntatem universitatis. Ubi autem duæ sententiæ discrepantes pares sint, nihil agetur, sed res in priori statu manebit. Inter plures sententias discrepantes illa prævalebit, quæ singulis dissentientibus major est; modo in ea tot conspirent, quot alias voluntatem universitatis per sanctiones publicas repræsentare possunt.

§. 13. Civitate ita constituta, ille, in quem imperium est collatum, prout est vel unus homo, vel unum concilium paucorum aut universorum, *monarcha senatus*, aut *populus liber* dicitur; reliqui subditi audiunt, aut *cives*, vocabulo hoc *latius* accepto. Etsi pressius illi quibusdam duntaxat cives soleant dici, quorum coitione & consensu primo civitas coaluit, aut qui in horum locum successerunt; nempe patresfamilias. Sunt porro *cives* vel *originarii* vel *adscititii*. Illi sunt, qui vel initio civitati nascenti interfuerunt, vel qui ex hisce sunt geniti; quos etiam *indigenas* adpellari mos est. Hi autem sunt qui civitati jam constitutæ extrinsecus accedunt eo fine, ut fortunarum ibi sedem figant. Nam qui tantum ad tempus commorandi causa in civitate versantur, etsi tantisper ipsius imperio subjiciantur; cives tamen non habentur sed peregrini, aut inquilini vocantur.

§. 14. Ista tamen, quæ super origine civitatum tradita sunt, non obstant, quo minus *imperium civile a Deo* esse recte dicatur. Cum enim idem legem naturalem ab omnibus hominibus exerceri velit; & vero post multiplicatum genus humanum tam horrida vita inter homines proventura fuerit, ut legi naturali vix ullus relinqueretur locus; cujus tamen exercitium per institutas civitates egregie promovetur; ergo, (cum qui jubet finem, jubere etiam censeatur media ad finem necessaria,) Deus quoque mediante dictamine rationis antecedenter præcepisse humano generi multiplicato intelligitur, ut civitates, quæ summo imperio velut animantur, constituerentur. Quarum ordinem quoque in divinis literis expresse

reſſe adprobat, ejuſque ſanctimoniam peculiaribus legibus ſancit, ſibique illud peculiariter curæ eſſe teſtatur.

CAPUT VII.

De Partibus ſummi Imperii.

§. 1. QUæ *partes* ſint ſummi imperii, & quibus modis ejuſdem ſeſe vis in civitatibus exſerat, ex natura & fine earundem liquido poteſt colligi.

§. 2. In civitate omnes ſuam voluntatem ſubmiſerunt voluntati imperantium circa negotia ad ſalutem civitatis facientia, quod velint facere, quidquid illi voluerint. Hoc ut fieri poſſit, neceſſum eſt, ut *imperantes civibus ſignificent, quæ ipſorum circa talia ſit voluntas.* Iſtud igitur faciunt non ſolum *per mandata ad ſingulos* directa circa negotia particularia; ſed etiam *per generales regulas*, unde omnibus in perpetuum de agendis omittendiſve conſtet. Per quas etiam definiri ſolet, quid cuique ſuum, quid alienum cenſeri debeat; quid in civitate pro licito, quid pro illicito, quid pro honeſto aut inhoneſto habendum; quid cuique ex libertate naturali ſuperſit, aut quomodo quiſque uſum ſuorum jurium ad tranquillitatem civitatis temperare debeat; quid denique & quo modo quiſque ſuo jure ab altero exigere queat. Hæc omnia enim liquido definita eſſe, ad decus & tranquillitatem civitatis plurimum facit.

§. 3. Is porro potiſſimus civitatum finis eſt, ut homines mutua conſpiratione & ope tuti ſint adverſus damna & injurias, quæ ab hominibus invicem inferri poſſunt & ſolent. Id ut obtineatur ab hominibus, quibuſcum in eandem ſocietatem conjungimur, non ſufficit, ut mutuo inter ſe paciſcantur de injuriis non inferendis; neque etiam ut nuda ſuperioris voluntas civibus innoteſcat: ſed opus eſt *metu*

pœnæ,

pœnæ, & facultate eandem repræsentandi. Quæ pœna, ut huic fini sufficiat, ita est temperanda; ut aperte majus malum sit leges violasse, quam observasse; utque adeo pœnæ acerbitas voluptati aut lucro, quod ex injuria capitur aut speratur, præponderet. Nam non possunt homines non ex duobus malis minus eligere. Licet autem multi per imminentem pœnam ab injuriis non reprimantur, id tamen inter minus frequentia habendum est; quæ plane evitare conditio humana non patitur.

§. 4. Quia etiam sæpe controversiæ super recta legum adplicatione ad facta singularia oriri solent, ac multa accurate expendenda occurrant, si quid contra leges factum esse dicatur: inde, ut inter cives tranquillitas constet, summi imperii est *lites civium cognoscere & decidere*, singulorumque facta, quæ legibus contraria arguuntur, examinare, ac pœnam legibus convenientem dictitare & exsequi.

§. 5. Ut autem qui in civitatem coiverunt, adversus extraneos tuti sint, summi imperii est *congregare, & unire, armare*, aut ejus loco conducere, quot pro incerto numero, & viribus hostium ad communem defensionem opus visum fuerit; rursusque ubi expedierit pacem facere. Cumque & belli & pacis temporibus inserviant *fœdera*, ut & commoda diversarum civitatum melius communicari possint, & validior hostis junctis viribus repelli, aut in ordinem redigi queat; penes summum quoque imperium erit, utrique tempori inservientia fœdera inire, universosque subditos ad ea servanda obstringere, simulque exinde redundantia commoda in civitatem derivare.

§. 6. Cum etiam civitatis amplæ negotia, tam belli quam pacis tempore occurrentia ab uno homine sive *ministris* & *magistratibus* exsecutioni dari nequeant; opus erit ab summo imperio constitui homines, qui ipsius vice controversias civium examinent, vicinorum consilia explorent, milites gubernent,

nent, opes civitatis colligant, & dispensent, ac denique utilitati civitatis undique prospiciant. Quos ipsos summus imperans ad officium faciendum compellere, gestorumque rationes poscere potest ac debet.

§. 7. Quia porro nec belli nec pacis tempore civitatis negotia sine *sumtibus* geri possunt, summi imperii est adigere cives, ut eosdem suppeditent. Id quod variis modis contingit; puta, si vel cives aliquam bonorum aut proventuum regionis abs se infestæ partem ad hos usus seponant, vel singuli cives de suis bonis conferant, simulque ubi opus sit operas suas præbeant; vel si vectigalia imponantur mercibus, quæ importantur, & exportantur, (quorum illud tamen magis cives, hoc exteros onerat,) aut si de pretio rerum, quæ consumuntur, modica pars decidatur.

§. 8. Denique cum singulorum actiones à sua cujusque opinione regantur; plerique autem de rebus ita soleant judicare, prout assueverunt, & prout communiter judicari vident; pauciſſimi proprio ingenio vera & honesta despicere queant: inde civitati expedit, ut publice ejusmodi *doctrinæ* personet, quæ cum recto fine & usu civitatum congruunt, simulque animi civium à puero istis imbuantur. Ejusmodi igitur doctrinas qui publice doceant, summi imperii est constituere.

§. 9. Sunt autem istæ partes summi imperii naturaliter ita *connexæ*, ut siquidem regularis forma civitati constare debeat, omnes & singulæ penes unum radicaliter esse debeant. Nam si una vel altera plane abfuerit, mancum erit imperium, nec ad finem civitatis procurandum idoneum. Sin autem istæ dividantur, ita ut quædam radicaliter sint penes unum, reliquæ penes alium, irregularem remp. & male cohærentem emergere necesse est.

CAPUT

CAPUT VIII.

De Formis Rerumpubl.

§. 1. SUmmum imperium, prout vel in *uno homine*, vel *in uno concilio ex paucis*, *aut universis constante* reperitur, diversas formas rerump. producere solet.

§. 2. Sunt autem *formæ civitatis* vel *regulares* vel *irregulares*. Illæ sunt, ubi imperium summum in uno subjecto ita est unitum, ut illud indivisum & inconvulsum ab una voluntate per omnes civitatis partes atque negotia sese dispensetur. Ubi hoc non deprehenditur, irregularis forma civitatis erit.

§. 3. Civitatis *regularis tres* sunt *formæ*; prima quando summum imperium est penes unum hominem; & dicitur *monarchia*. Altera quando summum imperium est penes concilium ex selectis duntaxat civibus constans; & vocatur *aristocratia*. Tertia, quando summum imperium est penes concilium ex universis patribusfamilias constans; & appellatur *democratia*. In prima is, qui rerum potitur, dicitur *monarcha*, in secunda *optimates*, in tertia *populus*.

§. 4. In omnibus hisce formis potestas quidem est eadem. Sed in eo insignem habet *commoditatem* monarchia præ reliquis formis, quod in ea ut deliberetur & decernatur, id est, ut imperium actu exerceatur, non opus sit temporibus & locis conditis, sed quovis loco & tempore deliberari & decerni possit; sic ut monarcha semper in proxima sit potentia ad actus imperii exercendos. Sed ut optimates & populus, qui non sunt una persona naturalis, decernant, necessum est, ut certo loco & tempore conveniant, ibique super negotiis publicis deliberent & decernant: cum alio modo voluntas

lantas ſenatus ac populi, quæ ex conſpirantibus majoris partis ſententiis reſultat, cognoſci nequeat.

§. 5. Cæterum uti circa alia jura, ita & circa ſummum imperium contingit, ut id alicubi bene, alicubi prave & imprudenter adminiſtretur. Unde fit, ut aliæ civitates *ſanæ*, aliæ *morbidæ* & *corruptæ* dicantur: etſi propter iſtiuſmodi morbos peculiares formas aut ſpecies rerumpublicarum comminiſci neceſſum non ſit. Eorum autem morborum, quibus civitates infeſtantur, alii *in hominibus*, alii *in ipſo ſtatu* hærent. Inde alia *vitia hominum*, alia *vitia ſtatus* audiunt.

§. 6. *Vitia hominum in monarchia* ſunt, ſi qui ſolium obtinet regnandi artibus deſtituitur, nullaque aut non ſufficiente reipubl. cura tangitur, eamque pravorum miniſtrorum ambitioni aut avaritiæ lacerandam proſtituit; ſi ſævitia & iracundia idem eſt terribilis; ſi etiam citra neceſſitatem remp. in caſum dare gaudet; ſi quæ ad tolerandos ſumtus reip. conferuntur luxu, aut per inconſultas largitiones diſſipat; ſi pecunias civibus extortas præter rationem accumulat; ſi contumelioſus, ſi injuſtus eſt; & ſi quæ ſunt alia, per quæ mali nomen principis comparatur.

§. 7. *Vitia hominum in ariſtocratia* ſunt, ſi per ambitum, pravaſque artes via in ſenatum patet viris improbis aut ineptis, excluſis melioribus; ſi optimates factionibus diſtrahuntur; ſi plebe tanquam mancipiis abuti, & bona civitatis augendo privato patrimonio intervertere ſtudent.

§. 8. *Vitia hominum in democratia* ſunt, ſi inepti & turbulenti homines turbulenter & importune ſententias ſuas tueri ſolent; ſi egregiæ & reip. non prægraves virtutes opprimuntur; ſi per levitatem leges temere figuntur atque refiguntur, & quæ modo placuerunt, mox citra rationem diſplicent: ſi ſordidi & inepti homines rebus gerendis præficiuntur.

§. 9. *Vitia*

§. 9. *Vitia hominum*, quæ *in quamvis civitatis ſpeciem* cadunt, ſunt; ſi quibus imperii adminiſtratio incumbit, officio ſuo negligenter aut prave funguntur, & ſi cives, quibus ſola obſequii gloria relicta eſt, frænum mordeant.

§. 10. Aſt *vitia ſtatus* ſunt, ubi leges aut inſtituta civitatis non ſunt attemperata ad genium populi, aut regionis; aut ubi eadem cives diſponunt ad turbas internas, aut ad juſta vicinorum odia incurrenda; aut ſi eoſdem ineptos reddunt ad obeundas functiones, quæ reip. ſervandæ ſunt neceſſariæ; puta, ſi per leges civitatis non poſſint non in imbellem ſegnitiem reſolvi, aut inidonei ad pacem ferendam reddi: aut ſi leges fundamentales ita ſint diſpoſitæ, ut per eas negotia publica non poſſunt non tarde aut difficulter expediri.

§. 11. Morbidis ejuſmodi rebuspubl. multi peculiaria quoque vocabula adplicant; ita ut *vitioſa monarchia* vocetur *tyrannis*; *vitioſus ſtatus paucorum oligarchia*; *vitioſus ſtatus popularis ochlocratia*. Etſi frequenter contingat, ut multi per iſthæc vocabula *non tam morbum reip. quam ſuum affectum aut diſplicentiam* in præſentem ſtatum, imperanteſve exprimant. Sæpe enim, cui vel rex vel ſtatus monarchicus diſplicet, tyrannum aut dominum ſolet vocare etiam legitimum & bonum principem, præſertim ubi is leges ſevere exſequitur. Sic & cui dolet ſenatu ſe excludi, cum tamen aliis ſenatoribus inferiorem ſeſe hautquidquam arbitretur, per contemtum & invidiam ὀλίγους illos vocat, q. d. paucos quoſdam, qui cum nulla re cæteros emineant, in pares tamen aut meliores non ſine faſtu imperium exerceant. Denique ſuperbo homines ingenio, & quibus æqualitas popularis inviſa eſt, ubi in democratia pari omnes jure de republ. ſuffragia ferre vident, cum tamen in quavis civitate plebis maximus ſit numerus, ochlocratiam id vocant, q. d. ſtatum, ubi vilis turba rerum potitur, nec egregiis viris, quales ipſi ſe ducunt, aliqua prærogativa relinquitur.

§. 12. *Reſ-*

§. 12. *Respublica irregularis* est, in qua non ita perfecte unio illa, in qua essentia civitatis consistit, deprehenditur: idque non per modum morbi, aut vitii in administratione reip. hærentis; sed ut publica lege aut consuetudine ea velut legitima sit recepta. Cum autem aberrationum à rectitudine infiniti esse modi queant, non possunt etiam irregularium corrump. certæ & definitæ species constitui. Indoles tamen ejus ex uno aut altero exemplo plane potest intelligi, v. g. Si in aliqua republica senatus & populus summo utrinque jure negotia publica tractent, ita ut neuter alteri obnoxius sit. Aut si in regno aliquo procerum potentia ita invaluerit ut rex deinceps non alio modo, quam inæquales fœderati habitat.

§. 13. *Systemata civitatum* vocamus, ubi plures perfectæ civitates aliquo peculiari vinculo ita connectuntur, ut ipsarum vires fere pro unius civitatis viribus haberi queant. Exsurgunt autem systemata *duplici* potissimum *modo*: uno per communem regem, altero per fœdus.

§. 14. *Mediante communi rege systema* emergit, quando plura separata regna vel ex conventione, vel ex occasione matrimonii, hæreditatis, aut victoriæ unum & eundem habent regem; ita tamen ut ideo in unum regnum non coalescant, sed singula juxta suas leges fundamentales à communi rege administrentur.

§. 15. *Altera species systematum* provenit, quando plures civitates vicinæ *perpetuo fœdere* ita connectuntur, ut aliquas partes summi imperii, quæ præcipue defensionem contra extraneos spectant, non nisi ex consensu omnium exercere velint, salva manente de cætero singulorum civitatum libertate, & independentia.

CAPUT IX.

De Affectionibus Imperii civilis.

§. 1. HAbet hoc omne imperium, quo univerſi aliqua civitas regitur, in qualibet reip. forma, ut ſit *ſummum*, i. e. in ſui exercitio à nullo homine tanquam ſuperiore dependens, ſed ex proprio judicio & arbitrio ſeſe exſerens, ſic ut ejuſdem actus à nemine tanquam ſuperiore queant irriti reddi.

§. 2. Inde etiam eſt, quod idem imperium ſit ἀνυπεύθυνον, ſeu *nemini mortalium obſtrictum ad reddendas rationes* eo cum affectu, ut ſi eas alteri non adprobaverit, pœnis humanis aut coercitioni, velut à ſuperiore profectis, eo nomine ſit obnoxium.

§. 3. Cui conjunctum eſt, ut idem ſummum imperium *legibus humanis & civilibus*, ut talibus *ſit ſuperius*, iiſdemque adeo directe non obſtringatur. Iſtæ enim leges à ſummo imperio tam in origine, quam in duratione dependent. Inde fieri non poteſt, ut per iſtas idem obligetur; cum alias idem ſeipſo ſuperius foret. Etſi ubi ſummus imperans quædam civibus lege injunxerit, quorum materia in ipſum quoque cadit, decorum ſit, & ad autoritatem legi addendam proficuum, ut ad eadem iſte ultro ſeſe componat.

§. 4. Habet denique & peculiare *ſanctimonium* ſummum imperium, ut non ſolum ejus juſſis legitimis reſiſtere nefas ſit; ſed & ejuſdem aſperitas non ſecus atque à probis liberis parentum moroſitas, à civibus ſit patienter ferenda. Quin & ubi atrociſſimas injurias intentaverit, ſinguli potius fuga ſibi conſulent, aut quantamcunque calamitatem ſuſtinebunt, quam ferrum in durum quidem, ſed tamen parentem patriæ ſtringent.

§. 5. Præ-

§. 5. Præterea ſummum imperium, in monarchiis ociſſimum & ariſtocratiis, alicubi *abſolutum*, alicu-i *limitatum* deprehenditur. *Abſolutum imperium* mo-archa habere dicitur, qui illud adminiſtrare poteſt roprio ex judicio, non ad normam certorum ac erpetuorum ſtatutorum, ſed prout præſens rerum onditio videtur exigere, quique adeo proprium ad rbitrium ſalutem reipubl. prout ejuſdem tempora po-ulaverint, procurat.

§. 6. Verum quia unius hominis judicium ab er-oribus non eſt immune, & voluntas in prava flexi-is, in tanta cumprimis libertate; quibuſdam popu-is conſultum viſum, ejus *imperii exercitium certis li-itibus circumſcribere*. Id quod factum, dum ad cer-as leges circa adminiſtrationem partium imperii in elatione regni regem adſtrinxerunt; & ſi quando egotia ſummam rerum ſpectantia, quæque in ante-eſſum definiri nequeunt, inciderent, voluerunt ea uſcipi non niſi præſciente & conſentiente populo, ut ejuſdem deputatis in comitia convocatis, ut eo inor occaſio regi præbeatur à ſalute regni ab-errandi.

§. 7. Solet denique in regnis occurrere aliquod diſcrimen circa *modum habendi* regnum, qui non in omnibus æqualis deprehenditur. Quidam enim re-ges dicuntur regnum ſuum habere *in patrimonio*, ita ut illud pro lubitu dividere, alienare, transferre poſſint, in quemcunque voluerint. Quod potiſſimum contin-git illis, qui armis regnum ſibi quæſivere, ac ſuum ſibi populum ipſi fecerunt. Reliqui autem reges, qui ul-tro à populo ſunt adſciti, etſi ſummo jure imperium exerceant; regnum tamen pro lubitu dividere, alienare, aut transferre nequeunt; ſed in eo ad ſucceſſores de-mittendo legem fundamentalem, aut conſuetudinem in populo receptam ſequi tenentur; eoque à quibuſdam certo reſpectu cum *uſufructuariis* comparantur.

CAPUT X.

De Modis adquirendi Imperium, inprimis monarchicum.

§. 1. QUanquam ad quodvis imperium legitimum conſtituendum *conſenſus* ſubjectorum requiratur; is tamen non ubique pari modo elicitur. Interdum enim *per violentiam bellicam* aliqui adiguntur in victoris imperium conſentire; interdum *ultro* ad aliquem principem conſtituendum cives accedunt.

§. 2. *Modus* adquirendi imperii *violentus* ſolet vocari *occupatio*, quando ſcilicet aliquis, juſta bellandi cauſa ſubnixus, favente vi armorum ac fortuna populum aliquem eo redigit, ut ipſius deinceps imperio ſeſe ſubjicere cogatur. Cujus imperii legitimus titulus non inde ſolum deducitur, quod victor, ſi rigore belli voluiſſet uti, vitam plane victis adimere potuiſſet, atque ſic, dum minore iſtos incommodo defungi patitur, clementiæ inſuper laudem nanciſcatur: ſed & quod cum altero in bellum deſcendens, quem ipſe antea læſerat, & cui æquam ſatisfactionem præbere renuit, omnes ſuas fortunas aleæ martis exponat, ſic ut jam in anteceſſum tacite conſenſerit in quamcunque conditionem, quam eventus belli ipſi eſt aſſignaturus.

§. 3. *Ultroneo* autem *conſenſu* populi paratur regnum interveniente *electione*, qua populus conſtituendus, aut jam conſtitutus, ultro certum hominem, ſuo judicio imperii capacem, deſignat; cui quando decretum populi fuerit ſignificatum, idque ille acceptaverit, promiſſo populi obſequio imperium confertur.

§. 4. Electionem in civitate jam conſtituta, ſiquidem illa ſuſcipiatur rege priore defuncto, antecedere

dere ſolet *interregnum*. In quo licet ad imperfectam formam recidat civitas, dum cives primo tantum pacto inter ſe connectuntur: multum tamen firmitatis ei adhuc addit nomen & affectus communis patriæ, civiumque plerorumque fortunæ iſti loco fere affixæ; quæ bonos cives ſubigunt, ut ultro tantiſper pacem inter ſe colant, & quanto ocyus ad plenum imperium inſtaurandum incumbant. Etſi magnopere ad incommoda, ex interregnis oriri apta, evitanda faciat, ſi in anteceſſum conſtituantur, penes quos ſolio vacante interim reip. adminiſtratio eſſe debeat.

§. 5. Cæterum alicubi quidem ſingulis monarchis defunctis nova inſtituitur electio. Alicubi autem regnum ea lege in alterum confertur, ut citra novam intervenientem electionem in alios per ſucceſſionem tranſeat. Illud jus ſucceſſionis conſtituitur vel *arbitrio ipſius regis*, vel *arbitrio populi*.

§. 6. *Reges*, qui regnum ſuum habent in patrimonio, pro lubitu *ſuper ſucceſſione* poſſunt *diſponere*; quorum diſpoſitio æque ac privatorum teſtamentum obſervabitur, præſertim ubi abs aliquo regnum fuerit conditum, ac partum. Ubi licebit ipſis, ſi placuerit, regnum inter plures liberos dividere, etiam filiabus non excluſis; imo & hæredem inſtituere filium adoptivum, naturalem, aut qui nulla plane cognatione ipſi eſt junctus.

§. 7. Verum ubi ejuſmodi rex ſuper ſua ſucceſſione nihil peculiariter diſpoſuit, *præſumitur* primo, eum nequaquam regnum ſuum ſecum expirare velle, ſed ut omnino in liberos ſuos, propter communem mortalium affectum id devolvatur. Dein ut poſt ipſum monarchica forma conſervetur, quippe quam ipſe ſuo exemplo comprobavit. Tum ut regnum maneat indiviſum, quippe cum diviſio cum regni juxta & familiæ regiæ convulſione ſit conjuncta. Præterea ut inter pares gradu mas præferatur fœminæ, primogenitus deinceps genitis. Denique ut liberis defi-

cientibus ad proximum quemque ſanguine regnum devolvatur.

§. 8. In illis autem regnis, quæ ab initio ultronea populi voluntate ſunt conſtituta, *ordo ſucceſſionis originarie ab ejuſdem populi voluntate* dependet. Qui ubi in regem una cum imperio jus quoque ſucceſſoris conſtituendi contulerit, ſuccedet, quem hic voluerit. Ubi hoc non fuit factum, id jus populus ſibi reſervaſſe intelligitur. Cui ſi placuit in electum regem hæreditario jure regnum conferre, *ordinem ſuccedendi* vel *ſimplicibus hæreditatibus conſimilem*, quantum ſalus regni admittit, effecit, vel *peculiari* ipſum *ratione* temperavit.

§. 9. Ubi *ſimpliciter populus regem juſſerit hæreditario jure regnum obtinere*, nec quid peculiariter addiderit; voluit quidem, ut regnum eo ordine devolvatur, quo privatæ hæreditates, ſed non ſine aliquo temperamento. Nam in hiſce fere ut à privatis hæreditatibus diſcedat ſucceſſio in regnis, ſalus civitatum requirit. 1. ut regnum ſit individuum. 2. ut ſucceſſio ſtet intra eos, qui à primo rege deſcendunt. 3. ne ſuccedant, niſi qui nati ſunt ſecundum leges patriæ, non nothi tantum, ſed & adoptivi. 4. ut in pari gradu mares præferantur fœminis etiam majoribus natu. 5. ut ſucceſſor regnum agnoſcat tanquam beneficium populi, non tanquam beneficium anteceſſoris.

§. 10. Verum quia facile inextricabiles controverſiæ oriri poterant, uter ex familia regnatrice nuper defunctum proxima cognatione contingeret, ubi ab autore ſtirpis longius diſceſſum fuerat: inde multos apud populos *ſucceſſio linealis* introducta eſt. Quæ in hoc conſiſtit, ut prout quiſque ab autore ſtirpis regnatricis deſcendit, ita lineam velut perpendicularem conſtituat; & inde quilibet ad regnum vocentur, prout ipſorum linea alias præcedit; nec de una linea in alteram fiat tranſitus, quoad ex priore aliquis adhuc ſuperſit; licet forte exiſtat, qui propiore gradu proxime defunctum regem attingat.

§. 11. Suc-

§. 11. Succeſſionis linealis uſitatiſſimæ ſunt ſpecies *cognatica* & *agnatica*. In illa fœminæ non excluduntur, ſed poſtponuntur maribus in eadem linea, ita ut etiam ad ipſas fiat regreſſus, ſi mares potiori aut pari gradu defecerint. Hæc autem fœminas, & ex hiſce natos etiam mares in perpetuum excludit.

§. 12. Ubi ſuper ſucceſſione in regno patrimoniali controverſia oriatur, optimum fuerit ad arbitros ex familia regia iri. Si ſucceſſio fuerit voluntate populi conſtituta, declaratio populi dubium tollet.

CAPUT XI.

De Officio ſummorum Imperantium.

§. 1. QUibus præceptis officium ſummorum imperantium conſtet, ex indole ac fine civitatum, nec non expenſis ſummi imperii partibus perſpicue colligitur.

§. 2. Ubi ante omnia requiritur, ut imperantes ipſi diligenter *diſcant, quæ ad plenam ejus officii cognitionem* pertinent; cum nemo laudabiliter exercere poſſit, quod non probe didicit. Unde principi ſequeſtranda illa ſtudia, quæ ad huncce finem nihil faciunt. Circumcidendæ quoque voluptates, oblectationes, vanæque occupationes, quatenus iſtum finem intercipiunt. Ideo & in familiaritatem admittendi viri cordati, rerumque humanarum periti: adulatores, nugatores, & qui præter inania nihil didicerunt, procul arcendi. Enimvero ut generalia prudentiæ rectricis præcepta rite adplicare norit, quam penitiſſime ipſi conditio ſui ſtatus, ſubjectique indoles populi eſt cognoſcenda. Illiſque præterea virtutibus cumprimis ſtudendum, quarum uſus in tanta

ta molis administratione maxime conspicitur; moresque ad tanti fastigii dignitatem componendi.

§. 3. Generalis lex summorum imperantium est hæc: *salus populi suprema lex est.* Ea enim intentione in istos imperium est collatum, ut per id procuraretur finis, ob quem civitates sunt institutæ. Inde credere iidem debent, nihil sibi privatim expedire, quod non idem expedit civitati.

§. 4. Ad internam civitatum tranquillitatem requiritur, ut voluntates civium ita temperentur, & dirigantur, prout saluti civitatis expedit. Inde summorum imperantium est non solum idoneas ei fini *leges* præscribere: sed & *publicam disciplinam* ita sancire, ut non tam metu suppliciorum, quam assuetudine cives ad legum præscripta sese componant. Ad quem finem quoque facit curare, ut doctrina Christiana, pura illa & sincera, in civitate vigeat; ac in scholis publicis talia dogmata tradantur, quæ cum fine civitatum conveniunt.

§. 5. Ad eundem finem expedit, perscriptas habere *leges perspicuas & planas* circa negotia, quæ frequentissime inter cives versari solent. Non tamen plura legibus civilibus sancienda sunt, quam ad bonum civitatis & civium conducunt. Nam cum de eo, quod facere vel non facere debent, sæpius per rationem naturalem, quam per scientiam legum homines deliberare soleant; ubi plures leges sunt, quam ut facile memoria comprehendi queant, & per eas prohibeantur ea, quæ ratio per se non prohibet: necesse est, ut per ignorantiam sine ulla prava intentione incidant in leges, tanquam in laqueos. Quo ipso civibus per imperantes supervacuum incommodum conciliatur; quod est contra finem civitatum.

§. 6. Quia autem frustra feruntur leges, si impune eas violari tolerent summi imperantes; igitur horum est *executionem* earundem procurare, utque quivis suo jure potiatur citra lentas moras, elusiones

es atque vexationes efficere: *pœnas* quoque ſumere pro cujuſque facti conditione, tranſgreſſoriſque intentione & malitia: nec ſine ſufficiente cauſa veniam indulgere; cum iniquum ſit, & ad irritandos civium animos efficaciſſimum, æqualiter meritos cæteris paribus non æqualiter tractare.

§. 7. Uti autem nihil pœnis eſt ſanciendum quod non ad uſum civitatis facit: ita *pœnæ* quoque ſunt temperandæ, ut ad finem iſtum proportionem habeant, utque adeo cives non plus afflictionis, quam reſp. utilitatis inde ferat. De cætero ſi ſcopum ſuum debent obtinere pœnæ, adparet eas eouſque eſſe intendendas, ut acerbitas earundem præponderet lucro & delectationi, quæ ex facto legibus vetito redundare poteſt.

§. 8. Quia porro hoc fine in civitatem coiverunt homines, ut ſecuritatem adverſus injurias aliorum obtinerent: ſummorum imperantium eſt, eo ſeverius *civium inter ſe injurias prohibere*, quo faciliorem perpetua cohabitatio occaſionem ad lædendum præbet. Nec diſcrimina ordinum ac dignitatum eo valere debent, ut potentiores tenuioribus pro libidine inſultare poſſint. Sed & ſcopo ſummi imperii adverſatur, ut cives, quas ſibi factas arbitrantur injurias, privata violentia exſequantur.

§. 9. Præterea quanquam ad omnia civitatis amplioris negotia immediate obeunda unus princeps non ſufficiat, ſic ut neceſſario *miniſtri* in partem curarum ſint vocandi: tamen uti hi omnem à ſummo imperante poteſtatem mutuantur; ita & bene & male ab ipſis geſtorum imputatio ultimo demum in iſtum redundat. Quam ob rationem, & quia prout miniſtri ſunt ita recte aut prave negotia expediuntur, ſummi imperantes tenentur ad munia civitatis adhibere viros probos, & idoneos, & in eorum acta ſubinde inquirere, eos denique prout rem geſſiſſe deprehenduntur, præmiis vel pœnis mactare, quo cæteri intelligant, non minore fide ac diligentia publicam,

licam, quam propriam rem tractandam. Sic & cum pravi mortalium ad scelera perpetranda spe impunitatis alliciantur, quæ ipsis præbetur facillima, ubi *judices* corruptionibus patent: summorum imperantium est, in ejusmodi judices, tanquam fautores scelerum, queis securitas civium abrumpitur, severe animadvertere. Præterea licet ordinaria negotiorum expeditio ministris credenda sit; summi tamen imperantes querelis ac desideriis civium patienter aurem præbere nunquam detrectabunt.

§. 10. Cum ad *tributa* & alia onera ferenda cives nullo alio nomine teneantur, quam quatenus ista necessaria sunt ad sumtus civitatis belli pacisque tempore tolerandos: igitur summorum heic imperantium officium erit, non plus extorquere, quam necessitates, aut insignes reip. utilitates requirant: & quantum fieri potest ita onera temperare, ut quam minime cives iisdem affligantur. Deinde ut justa in proportione describantur; nec aliquibus civibus immunitates concedantur in fraudem & oppressionem reliquorum. Tum quæ collecta fuerunt, in usus reip. impendantur: non per luxuriam, largitiones, superfluam ostentationem, aut inania dissipentur. Denique providendum, ut erogationes reditibus respondeant, & qua hi non pertingunt, à parsimonia circumcisis sumtibus non necessariis subsidium petendum.

§. 11. Quanquam autem summi imperantes subditos alere non teneantur, (nisi quod eorum, qui per immeritam aliquam calamitatem seipsos sustentare non possunt peculiarem curam agere caritas jubeat;) tamen quia non solum ex bonis civium colligendi sunt sumtus, civitati conservandæ necessarii, sed etiam robur civitatis in virtute & opibus civium consistit: igitur illis, quantum in se, providendum erit, ut *res familiaris civium* glisçat. Ad hunc finem facit cives disponere, ut quantum fieri potest, uberem proventum ex terra & aquis capiant; ut,

quæ

quæ apud ipsos proveniunt, materiis industriam adhibeant, aut quem ipsi commode laborem obire possunt, ab aliis non redimant: quod fit, siquidem artes mechanicæ foveantur. Maximi quoque est momenti mercaturam, & in regionibus maritimis navigationem excolere. Nec ignavia solum proscribenda, sed & ad parsimoniam revocandi cives per leges sumtuarias, queis superflui sumtus prohibeantur, imprimis illi, per quos opes civium ad exteros transferuntur. Etsi majorem heic, quam quævis leges efficaciam obtinent summorum imperantium exempla.

§. 12. Quia etiam sanitas ac firmitas interna civitatum ex *unione civium* provenit, quæ quo accuratior fuerit, eo majore cum efficacia vis imperii per universum sese civitatis corpus dispensat: igitur summis imperantibus incumbit providere, ne in civitate factiones oriantur; neve quidam cives inter se peculiaribus pactis connectantur; neve omnes aut aliqui ab ullo alio, sive intra sive extra civitatem constituto, sub quocunque obtentu, sacro aut profano, magis dependeant, quam à legitimo suo principe, & in nemine plus sibi præsidii, quam in eodem repositum arbitrentur.

§. 13. Denique cum status civitatum inter se sit pax satis infida; summorum imperantium est curare, ut *virtus civium, peritiaque armorum* alatur, & omnia, quæ ad vim repellendam requiruntur, mature parentur, munita loca, arma, milites, & rerum gerendarum nervus pecunia. Ultro autem etiam posita justa belli causa nemo lacessendus, nisi tutissima arriserit occasio, & conditio civitatis commode id ferat. Eundem quoque ob finem consilia & molitiones vicinorum accurate exploranda, & observanda sunt; nec non amicitiæ & fœdera prudenter contrahenda.

CAPUT

CAPUT XII.

De Legibus Civilibus in ſpecie.

§. 1. DIſpiciendum quoque jam reſtat de partibus ſummi imperii in ſpecie, & quæ circa eas peculiariter obſervanda occurrunt. Ubi primum locum occupant *leges civiles*, quæ ſunt decreta ſummi imperantis civilis, per quæ civibus injungitur, quid in vita civili facere, quidve omittere debeant.

§. 2. Dicuntur autem leges civiles duplici potiſſimum reſpectu; vel *reſpectu autoritatis* vel *originis*. Priori ſenſu leges civiles vocari poſſunt omnes leges, juxta quas in foro civili jus redditur, undecunque demum illæ originem ſuam trahant. Poſteriori ſenſu leges civiles dicuntur, quæ primo à voluntate ſummi imperii civilis profectæ ſunt, atque circa ea verſantur, quæ jure naturali ac divino definita non ſunt, ſed ad peculiarem utilitatem ſingularum civitatum faciunt.

§. 3. Cæterum uti legibus civilibus nihil eſt ſanciendum, quod non *ad commodum reip.* referatur: ita cum vitæ civilis decori & tranquillitati maxime expediat, legem naturalem à civibus probe obſervari: hinc ſummis imperantibus incumbit, iſti vim atque efficaciam legis civilis impertiri. Nam apud plurimos mortalium tanta deprehenditur malitia, ut neque manifeſta legis naturalis utilitas, neque metus divini Numinis ei reprimendæ ſufficiat. Quo igitur utcunque vitæ civilis honeſtas ſervari queat, ſummum imperium efficere poteſt, legibus naturalibus vim legum civilium tribuendo.

§. 4. Conſiſtit autem *vis legum civilium* in hoc, ut præceptis de faciendo vel omittendo addatur *ſanctio pœnalis*; ſive ut definiatur, quæ pœna in foro civitatis ſit manſura eum, qui facienda omiſerit, aut fecerit

fecerit omittenda. Qua ſanctione pœnali quæ deſtituuntur leges naturales, in foro humano impune violantur, ſalva tamen vindicta tribunalis divini.

§. 5. Præterea quia vitæ civilis indoles non fert, ut quod quiſque ſibi deberi arbitratur, propriam per violentiam exigat: inde & in eo legi naturali ſubveniunt leges civiles, quod ad ea, quæ ex illa debentur, hæ *actionem* accommodant, cujus vi iſta in foro civili per ſubſidium magiſtratus exigi poſſunt. Quam vim quæ per leges civiles non acceperunt, ab invitis extorqueri non poſſunt, ſed ſolo debentium pudore & conſcientia ſtant. Solent autem leges civiles illis potiſſimum obligationibus actionem accommodare, quæ per expreſſa pacta inter homines contractæ ſunt. Cæteris, quæ ex indefinito aliquo officio legis naturalis debentur, fere actionem denegarunt, ut eſſet materia, qua virtutem ſuam exercerent probiores mortalium; inſignemque pararent laudem, ſi citra coactionem recte feciſſe viderentur. Sæpe etiam tanti non fuit viſum negotium, ut ideo prætor fatigaretur.

§. 6. Cum etiam multa lege naturali indefinite præcipiantur, adplicatione in cujuſvis arbitrio relicta: inde lex civilis ad decus & tranquillitatem civitatis ejuſmodi *actionibus tempus, modum, locum, & perſonas* aſſignare, aliaſque circumſtantias determinare, quandoque & præmiis homines ad eas ſuſcipiendas allicere ſolet. Si quid etiam in lege naturali obſcuri ſit, legis civilis eſt *explicare*. Quam explicationem in agendo ſequi cives tenentur; ut ut fortaſſe privata ipſorum opinio in diverſum abeat.

§. 7. Cum etiam plurimæ actiones per legem naturalem cujuſque judicio & arbitrio ſint relictæ, quas tamen in civitate uniformi modo temperari tranquillitatis & decoris publici intereſt: inde leges civiles ejuſmodi actionibus & negotiis *certam formam* ſolent aſſignare; uti contingit in ultimis volun-

CAPUT XII.

De Legibus Civilibus in ſpecie.

§. 1. DIſpiciendum quoque jam reſtat de partibus ſummi imperii in ſpecie, & quæ circa eas peculiariter obſervanda occurrunt. Ubi primum locum occupant *leges civiles*, quæ ſunt decreta ſummi imperantis civilis, per quæ civibus injungitur, quid in vita civili facere, quidve omittere debeant.

§. 2. Dicuntur autem leges civiles duplici potiſſimum reſpectu; vel *reſpectu autoritatis* vel *originis*. Priori ſenſu leges civiles vocari poſſunt omnes leges, juxta quas in foro civili jus redditur, undecunque demum illæ originem ſuam trahant. Poſteriori ſenſu leges civiles dicuntur, quæ primo à voluntate ſummi imperii civilis profectæ ſunt, atque circa ea verſantur, quæ jure naturali ac divino definita non ſunt, ſed ad peculiarem utilitatem ſingularum civitatum faciunt.

§. 3. Cæterum uti legibus civilibus nihil eſt ſanciendum, quod non *ad commodum reip.* referatur: ita cum vitæ civilis decori & tranquillitati maxime expediat, legem naturalem à civibus probe obſervari: hinc ſummis imperantibus incumbit, iſti vim atque efficaciam legis civilis impertiri. Nam apud plurimos mortalium tanta deprehenditur malitia, ut neque manifeſta legis naturalis utilitas, neque metus divini Numinis ei reprimendæ ſufficiat. Quo igitur utcunque vitæ civilis honeſtas ſervari queat, ſummum imperium efficere poteſt, legibus naturalibus vim legum civilium tribuendo.

§. 4. Conſiſtit autem *vis legum civilium* in hoc, ut præceptis de faciendo vel omittendo addatur *ſanctio pœnalis*; ſive ut definiatur, quæ pœna in foro civitatis ſit manſura eum, qui facienda omiſerit, aut fecerit

fecerit omittenda. Qua ſanctione pœnali quæ deſtituuntur leges naturales, in foro humano impune violantur, ſalva tamen vindicta tribunalis divini.

§. 5. Præterea quia vitæ civilis indoles non fert, ut quod quiſque ſibi deberi arbitratur, propriam per violentiam exigat: inde & in eo legi naturali ſubveniunt leges civiles, quod ad ea, quæ ex illa debentur, hæ *actionem* accommodant, cujus vi iſta in foro civili per ſubſidium magiſtratus exigi poſſunt. Quam vim quæ per leges civiles non acceperunt, ab invitis extorqueri non poſſunt, ſed ſolo debentium pudore & conſcientia ſtant. Solent autem leges civiles illis potiſſimum obligationibus actionem accommodare, quæ per expreſſa pacta inter homines contractæ ſunt. Cæteris, quæ ex indefinito aliquo officio legis naturalis debentur, fere actionem denegarunt, ut eſſet materia, qua virtutem ſuam exercerent probiores mortalium; inſignemque pararent laudem, ſi citra coactionem recte feciſſe viderentur. Sæpe etiam tanti non fuit viſum negotium, ut ideo prætor fatigaretur.

§. 6. Cum etiam multa lege naturali indefinite præcipiantur, adplicatione in cujuſvis arbitrio relicta: inde lex civilis ad decus & tranquillitatem civitatis ejuſmodi *actionibus tempus, modum, locum, & perſonas* aſſignare, aliaſque circumſtantias determinare, quandoque & præmiis homines ad eas ſuſcipiendas allicere ſolet. Si quid etiam in lege naturali obſcuri ſit, legis civilis eſt *explicare*. Quam explicationem in agendo ſequi cives tenentur; utut fortaſſe privata ipſorum opinio in diverſum abeat.

§. 7. Cum etiam plurimæ actiones per legem naturalem cujuſque judicio & arbitrio ſint relictæ, quas tamen in civitate uniformi modo temperari tranquillitatis & decoris publici intereſt: inde leges civiles ejuſmodi actionibus & negotiis *certam formam* ſolent aſſignare; uti contingit in ultimis voluntun-

luntatibus, in contractibus, & multis aliis. Ob eandem causam etiam leges civiles exercitium eorum jurium, quæ naturaliter competunt, circumscribere soleverunt.

§. 8. Debent autem cives legibus civilibus, quatenus aperte juri divino non repugnant, *obtemperare* non velut ex nudo pœnæ metu, sed ex intrinseca obligatione, per ipsum jus naturale confirmata; quippe inter cujus præcepta quoque est, legitimis imperantibus esse parendum.

§. 9. Denique non minus *peculiaribus jussis* summorum imperantium, quam legibus communibus cives obtemperare debent. Ubi tamen observandum est, utrum summus imperans civem quid jubeat facere tanquam *actionem civi propriam*; an vero mandet suscipere nudam *executionem actionis*, quæ propria imperantis esse debeat. Nam posteriori casu necessitate ab imperante adhibita citra proprium peccatum potest aliquid agere civis, quo patrato ipse imperans peccat. Sed ut civis velut proprio nomine peccatum legi naturali & divinæ repugnans perpetret, fieri recte non potest. Inde est, quod si in bello etiam injusto civis jussu summi imperantis arma gerat, non peccet. Sed si ejusdem jussu aliquis innocentem damnet, falsum testimonium dicat, calumniam alicui intentet, utique peccat. Nam civis militat nomine publico; sed proprio nomine judicat, testatur, accusat.

CAPUT

CAPUT XIII.

De Jure vitæ ac necis.

§. 1. SUmmo imperio civili in *vitam civium duplici modo jus* competit; *indirecte* vel *directe*; illud quidem *ad defenſionem civitatis*, hoc autem *ad compeſcenda delicta*.

§. 2. Cum enim ſæpe vis exterorum per vim ſit repellenda, aut jus noſtrum violenter ab ipſis vindicandum; licet utique ſummo imperio cives ad hoc negotii compellere; ubi de induſtria non id agitur, ut cives vitam amittant, ſed duntaxat periculo mortis eorum vita exponitur. Qualibus in periculis ut ſtrenue & dextre ſeſe cives gerere poſſint, ſummum imperium exercere eos & præparare debet. Nulli autem civi ejus periculi metu ad munia militaria ſeſe inutilem reddere licet. Et qui militiæ eſt adſcriptus, hautquaquam aſſignatam ſtationem ex formidine deſeret, ſed ad extremum potius ſpiritum pugnabit; niſi intelligat imperantis voluntatem eſſe, ut potius vitam, quam locum conſervet; aut locus iſte tanti non ſit civitati, quam vita iſtorum civium.

§. 3. Directe autem vitam civibus adimere poteſt ſummum imperium ob atrocia delicta, & per modum *pœnæ*; quæ tamen & in alia hominis bona cadit. Quo loco de natura pœnæ quædam in univerſum erunt exponenda.

§. 4. Eſt igitur *pœna* malum paſſionis, quod infligitur ob malum actionis ſeu malum aliquod moleſtum, quod per modum coactionis & pro imperio intuitu antegreſſi delicti alicui imponitur. Licet enim ſæpe alicui pœnæ loco imperentur quædam actiones; in iis tamen ſpectatur id, quod laborioſæ, &

& facienti moleſtæ ſint, quodque agenti paſſio quædam per eas inferatur. Invitis autem pœna eſt infligenda, quia alias illa non obtineret finem ſuum, qui eſt, acerbitate ſua homines à peccatis deterrere. Quem effectum non habent, quæ quis lubens admittit. Denique pœnæ rationem non habent mala, quæ in bello pugnave inter repugnandum inferuntur; quia non pro imperio: neque quæ per injuriam quis patitur; quia non intuitu antegreſſi delicti inferuntur.

§. 5. Sicuti autem libertas naturalis hoc habet, ut qui in ea conſtitutus præter Deum neminem habet ſuperiorem, divinis tantum pœnis ſit obnoxius: ita cum introducto inter homines imperio hoc quoque imperantibus ſalus ſocietatum attribuit, ut ipſi malo repræſentato malitiam ſubjectorum coërcere queant, quo plures homines ſecure invicem poſſint vivere.

§. 6. Etſi autem in eo nihil videatur iniqui, ut malum patiatur, qui male egit: in pœnis tamen humanis non ſimpliciter reſpiciendum eſt, quodnam malum ſit perpetratum; ſed & quæ *utilitas ex pœna* poſſit provenire. Sicuti & nequaquam eo fine pœnæ exercendæ, ut læſus animum paſcat, & voluptatem capiat ex dolore & ſupplicio lædentis; quippe cum hæc voluptas plane ſit inhumana, & ſocialitati repugnans.

§. 7. *Genuinus pœnarum humanarum finis* eſt præcautio læſionum & injuriarum; quæ provenit, ſi vel in melius emendetur, qui peccavit, aut alii ejus exemplo, ne deinceps velint peccare, vel ſi ita coerceatur qui peccavit, ut non poſſit deinceps nocere. Id quod etiam ita poteſt exprimi; quod in pœnis reſpiciatur vel utilitas ejus, qui peccavit; vel ejus, cujus intererat non fuiſſe peccatum, quique adeo per peccatum læſus fuit; vel indiſtinctim quorumlibet.

§. 8. Primum igitur in ſumenda pœna reſpicitur *utilitas*

utilitas ejus, qui peccavit, dum dolore pœnæ ipſius animus emendatur, & peccandi libido per eundem extinguitur. Quale genus pœnæ etiam in pleriſque civitatibus in ſuos domeſticos exercere patribusfamilias relictum. Eo ſolo tamen fine ad mortem procedi poſſe non videtur; cum qui mortuus eſt, emendari nequeat.

§. 9. Deinde in pœna verſatur *utilitas ejus, qui læſus fuit*, ne tale quid in poſterum ab eodem aut aliis patiatur. Quorum prius obtinetur, ſi vel tollatur, qui peccavit, vel vires nocendi, ſalva vita, ipſi adimantur; vel ſi malo ſuo dedoceatur delinquere. Poſterius autem obtineatur pœna aperta & conſpicua, cujuſque adparatus ad terrorem aliis incutiendum apmus ſit.

§. 10. Denique in pœna *utilitas* quoque *omnium* quæritur, dum nempe id agitur, ut ne, qui uni nocuit, aliis deinceps noceat, vel ut exemplo territi cæteri à ſimilibus patrandis abſtineant. Quod pari modo atque prius obtinetur.

§. 11. Quod ſi porro tum fines pœnarum, tum conditionem generis humani conſideremus, adparet, *non omnia peccata eſſe ejuſmodi indolis, ut in foro humano ea puniri* omnino conveniat. Inde pœnis humanis eximuntur *actus mere interni*, i. e. cogitatio delectabilis de peccato aliquo, cupiditas, deſiderium, deſtinatio citra effectum; etſi poſtea per ſubſequentem confeſſionem ad notitiam aliorum perveniant. Nam cum ejuſmodi motu interno nemini noxa inferatur, nullius quoque hominis intereſt, ut ob eundem quiſpiam puniatur.

§. 12. Durum quoque nimis foret pœnis humanis ſubjicere *minutiſſimos lapſus*, quos in iſthac naturæ conditione non datur effugere, quantamcunque attentionem quis adhibere inſtituat.

§. 13. Præterea multos actus diſſimulant leges humanæ *ob tranquillitatem civitatis, aut alias ob rationes*; puta, ſi ſplendidior futurus ſit actus, ubi ex intuitu pœnæ non videatur ſuſceptus, aut

ubi operæ pretium non ſit judices inquietari, aut ſi obſcuriſſimæ res ſit diſceptationis, aut ſi inolitum plane malum citra convulſionem civitatis tolli nequeat.

§. 14. Denique & à pœna humana eximi neceſſe eſt illa *vitia animi, ex corruptione mortalium communi reſultantia*, quæ ita frequentia reperiuntur, ut defuturi eſſent, quibus imperaretur, ſi ſeveris iſta pœnis plectere velis, quouſque in enormes actus non eruperunt: uti eſt ambitio, avaritia, inhumanitas, ingratus animus, hypocriſis, invidia, ſuperbia, iracundia, ſimultas, & ſimilia.

§. 15. Neque tamen ſi quæ peccata ſint patrata pœnis humanis idonea, ſemper neceſſum eſt pœnam exigi. Quin aliquando contingit, ut delinquentibus recte peccati *venia* fieri poſſit. Id quod tamen citra graves cauſas fieri non debet. Inter quas ſunt, ſi fines pœnarum in certo caſu non videantur neceſſarii, aut ſi venia majorem quam pœna producere utilitatem ſit idonea; aut ſi fines pœnarum alia via commodius obtineri poſſint. Item ſi qui deliquit alleget ſua aut ſibi conjunctorum eximia in rempubl. merita, peculiari præmio digna, aut ſi ab alia quapiam inſigni re commendetur, puta, à raro aliquo artificio; aut ſi ſpes ſit fore, ut peccatum illud egregiis factis eluatur: præſertim ubi aliqua ignorantia, licet non plane inculpabilis, intervenerit, aut ſi particularis ratio legis in aliquo facto ceſſaverit. Sæpe quoque ob multitudinem peccantium venia eſt danda, ne ſuppliciis civitas exhauriatur.

§. 16. *Gravitas* autem *delictorum* æſtimatur ex objecto in quod peccatum fuit, prout illud nobile & pretioſum habetur: item ex effectu, prout multum aut parum damni in remp. inde redundat; & denique ex pravitate intentionis, quæ ex variis indiciis colligitur; puta, ſi facile potuit reſiſtere cauſis, quibus quis ad peccandum fuit impulſus; aut ſi præter communem rationem peculiaris quædam acceſſit,

ceſſit, quæ à peccando debebat abſterrere; aut ubi circumſtantiæ ſingulares factum aggravant; aut ſi animum quis habuerit idoneum ad reſiſtendum peccatorum illecebris. Sed & conſiderari ſolet, primus quis, an aliorum exemplo ſeductus, ſemel, an ſæpius, & poſt conſumtas fruſtra admonitiones quis peccaverit.

§. 17. Quod tamen *pœnæ genus*, & *quantum* præciſe ſingulis peccatis ſit infligendum, penes ſummum imperium civile eſt definire: quod heic unice utilitatem reipubl. præ oculis habere debet. Unde fieri poteſt & ſolet, ut eadem pœna imponatur duobus delictis inæqualibus. Nam quæ æqualitas judicibus circa reos obſervanda præcipitur, illa intelligenda eſt de reis, qui idem ſpecie delictum commiſerunt, hactenus, ut quod in uno vindicatur delictum, alteri citra graviſſimam cauſam condonari non debeat. Etſi autem quantum fieri poteſt, homo in hominem lenior eſſe debeat: interdum tamen pœnas exaſperari ſalus civitatis, & ſecuritas civium jubet: puta, ſi contra gliſcentia vitia aſperiore medicina opus eſt; aut ubi delictum aliquod reip. ſit perniciosiſſimum. Id autem omnino obſervandum circa magnitudinem pœnarum, ut illæ tantæ ſint, quantæ ſufficiant ad reprimendam libidinem mortalium, qua feruntur in peccatum, in quod pœnæ conſtituuntur. Tum etiam, ne exigantur graviores pœnæ, quam legibus definitæ ſunt; niſi atrociores circumſtantiæ factum aggravent.

§. 18. Quia tamen eadem pœna non omnes æque afficit, adeoque apud omnes non parem effectum producit circa reprimendam peccandi libidinem; inde tam in generali pœnarum deſignatione, quam earundem ad ſingulos adplicatione reſpicienda eſt *perſona ipſius delinquentis*, & in eadem illæ qualitates, quæ ſenſum pœnæ augere vel minuere poſſunt; puta, ætas, ſexus, ſtatus, opes, vires & ſimilia.

§. 19. Porro uti ob alienum delictum in foro humano pœna proprie dicta nemo poteſt affici: ita

ſi *ab univerſitate aliqua delictum ſit admiſſum*, eo non tenebitur, qui in id non conſenſerit. Atque inde iſti diſſentienti nihil poterit eripi, quod nomine & beneficio univerſitatis non obtinebat. Etſi ex occaſione punitæ univerſitatis & innocentes incommodum ſentire ſoleant. Expirant quoque delicta univerſitatum, quando nemo amplius ſupereſt eorum, queis conſentientibus & cooperantibus illud delictum fuit patratum.

§. 20. Id tamen frequenter contingit, ut *alienum delictum occaſionem præbeat*, ex qua in alios incommodum proveniat, aut bonum antea ſperatum intercipiatur. Sicuti bonis parentum ob delictum confiſcatis ad paupertatem rediguntur etiam innocentes liberi. Et reo aufugiente fidejuſſor exſolvere multam cogitur, non ex delicto, ſed quia in talem eventum ultro ſeſe obligavit.

CAPUT XIV.

De Exiſtimatione.

§. 1. *Exiſtimatio* in genere eſt valor perſonarum in vita communi, ſecundum quem aptæ ſunt aliis perſonis exæquari aut comparari, eiſque vel antehaberi, vel poſtponi.

§. 2. Dividitur illa in *ſimplicem* & *intenſivam*. Utraque conſideratur vel inter eos, qui *in naturali libertate*, vel qui in *ſtatu civili* invicem degunt.

§. 3. *Exiſtimatio ſimplex inter eos, qui in naturali libertate vivunt*, in hoc potiſſimum conſiſtit, ut quis talem ſe ferat, & pro tali habeatur, quicum agi queat tanquam cum viro bono, & qui cum aliis ad præſcriptum legis naturalis vivere ſit paratus.

§. 4. Atque iſthæc *integra* tamdiu habetur, quoad

ad quis nondum per malitioſum aut enorme facinus ſciens volenſque dolo malo legem naturæ adverſus alios violavit. Inde & naturaliter quilibet pro bono viro habetur, donec contrarium probetur.

§. 5. Eadem exiſtimatio *diminuitur* per facinora enormia contra legem naturalem malitioſe patrata; quæ efficiunt, ut majore circumſpectione opus ſit, ſi quis cum tali agere velit. Ea tamen macula elui poteſt præſtita ultro damni dati reparatione, & edito ſeriæ pœnitentiæ documento.

§. 6. *Conſumit* eandem penitus vitæ genus & inſtitutum, directe ſpectans ad aliis promiſcue nocendum, & rem ex manifeſtis aliorum injuriis faciendam. Cujus farinæ homines quamdiu reſipiſcere nolunt, tanquam communes hoſtes poſſunt tractari ab omnibus, quos ipſorum malitia ullo modo poteſt tangere. Reparare tamen hi exiſtimationem poſſunt, ubi præſtita refuſione damni, aut obtenta condonatione, honeſtum vitæ genus, vitioſo ejurato, ſubierint.

§. 7. *Exiſtimatio ſimplex intra civitates degentium* eſt, qua quis juxta leges & mores civitatis pro vitioſo ejuſdem membro non fuit declaratus, & aliquo numero eſſe intelligitur.

§. 8. Ilthæc in civitate *deficit* vel *ex mero ſtatu*, vel *ex delicto*. Prius contingit *duplici* modo; vel ut ſtatus ille in ſe naturaliter nihil turpe habeat; vel ut cum vitio, aut ſaltem ejus opinione ſit conjunctus. Illud contingit in quibuſdam civitatibus, ubi ſervi nullo numero ſunt. Hoc circa lenones, meretrices, & ſimiles obtinet; qui quamdiu publice tolerantur in civitate, communi quidem defenſione fruuntur, honeſtorum tamen hominum conſortio excludendi. Quod idem contingit quibuſdam circa fœda aut vilia, licet naturaliter non vitioſa, occupatis.

§. 9. Ex delicto autem eadem plane deficit, quando quis juxta leges civiles ob certum delictum *infamia* notatur; idque ut vel morte ſimul plectatur, & ſic memoria ejus notetur, vel ut civitate expellatur, vel ut in

civitate retineatur tanquam infame & putridum membrum.

§. 10. Id autem manifeſtum eſt, exiſtimationem ſimplicem, ſeu *naturalem honeſtatem non poſſe alicui eripi ex mero arbitrio* ſummorum imperantium. Cum id nullo modo ad utilitatem civitatis facere, adeoque in ipſos nullo modo collatum intelligi poſſit. Sicuti nec vera infamia videtur contrahi poſſe, dum quis juſſa civitatis per modum nudi miniſtri exſequitur.

§. 11. *Exiſtimatio intenſiva* eſt, ſecundum quam perſonæ, alias quoad exiſtimationem ſimplicem æquales, ſibi invicem præferuntur, prout uni præ altero inſunt, queis aliorum animi ad exhibendum honorem permoveri ſolent. Eſt autem *honor* proprie ſignificatio judicii noſtri de alterius præſtantia.

§. 12. Hæc exiſtimatio intenſiva conſiderari poteſt vel *inter eos, qui in naturali vivunt libertate*, vel *inter cives ejuſdem reipublicæ*. Deinde expendenda ſunt ejuſdem *fundamenta*, & quidem prout producunt vel *aptitudinem* duntaxat ad honorem ab aliis expectandum, vel *jus ſtricte dictum*, quo idem ab aliis tanquam debitus poſtulari queat.

§. 13. *Fundamenta intenſivæ exiſtimationis* in genere cenſentur omnia illa, quæ inſignem perfectionem & præſtantiam habent, aut eandem judicantur arguere, & quidem talem, cujus effectus cum fine legis naturalis aut civitatum congruit. Uti ſunt perſpicacia mentis, & capacitas varias ſcientias & artes addiſcendi, acre judicium in rebus gerendis, animus firmus, & per externa inconcuſſus, illecebriſque ac terroribus ſuperior, eloquentia, forma & dexteritas corporis, bona fortunæ, & inprimis res egregie geſtæ.

§. 14. Hæc tamen omnia non producunt *niſi jus imperfectum* ſeu aptitudinem ad habendum ab aliis honorem & venerationem. Unde ſi quis eundem aliis etiam bene meritis denegaverit, non injuriam facit, ſed duntaxat ob inhumanitatem & velut in-

civi-

civilitatem male audit. Sed *jus perfectum* ad habendum ab altero honorem, aut ejus insignia, provenit vel ex imperio, quod quis in illum obtinet, vel ex pacto cum eodem ea super re inito vel ex lege per communem dominum lata aut approbata.

§. 15. *Inter principes* autem & integros populos pro eminentia & *præcedentia* solet allegari potissimum antiquitas regni & familiæ, amplitudo & opulentia ditionum, & potentia; qualitas potestatis, qua quis imperium in suo regno obtinet; & splendor tituli. Quæ tamen omnia per se non pariunt jus perfectum ad præcedentiam adversus alios reges populosve, nisi pacto aut concessione horum illud quæsitum fuerit.

§. 16. *Inter cives* autem *gradus dignitatis designare summi imperantis* est; qui tamen heic recte cujusque præstantiam, & ad conferenda in remp. merita aptitudinem respicit. Quem autem iste civi dignitatis gradum assignaverit, eum recte hic contra concives suos tuetur: nec minus eodem ipse adquiescere debet.

CAPUT. XV.

De Potestate summi Imperii in bona civitate contenta.

§. 1. QUemadmodum ubi bona abs summis imperantibus in cives profecta sunt, in istorum arbitrio est, quid hi in ea juris obtineant: ita in ea bona, quæ cives propria sibi industria, aut alio modo plene quæsiverunt, *triplex* potissimum *jus*, ex indole civitatum resultans, & ad harum finem necessarium, summis imperantibus competit.

§. 2. Primum jus in eo consistit, ut civibus isti possint *leges præscribere* circa usum eorundem ad utilitatem civitatis attemperandum, aut circa modum, qualitatemque possessionum, uti & rationem transferendorum in alios bonorum, & quæ sunt ejus generis alia.

§. 3. Alterum jus in hoc consistit, ut possit particulam aliquam de ipsorum bonis *tributi* aut *vectigalis* nomine decerpere. Cum enim civium vita & fortunæ per civitatem sint defendendæ, oportet ut hi conferant, unde sumtus ad eum finem necessarii tolerentur. Sic ut valde impudens sit, qui defensione quidem & commoditate civitatis frui vult, & tamen nihil operæ aut rei ad eandem servandam conferre. Etsi heic merito prudentes sese rectores ad queruluin vulgi ingenium attemperent, & ut quam minimo cum sensu ista corrogari queant, laborent; inprimis æqualitatem observando, & modica potius, ac varia, quam grandia ac uniformia exigendo.

§. 4. Tertium jus est *dominium eminens*, quod in eo consistit, ut urgente reip. necessitate bona subdi-

ti

ti cujuſpiam, quibus præſens tempus maxime opus habet, ad uſus publicos arripi & adplicari queant; licet iſta longe ſuperent ratam partem, quam is ad ſumtus reip. conferre tenebatur. Ob quam tamen rationem iſti civi, quod excedit, de publico, aut ex collatione cæterorum civium, quantum ejus fieri poteſt, refundi debet.

§. 5. Præter hæc tria jura in multis civitatibus dantur peculiaria *bona publica*, quæ patrimonium reip. aut regni ſolent appellari. Quod alicubi iterum diſtinguitur in *patrimonium principatus*, & *reipublicæ*, ſeu in fiſcum, & ærarium. Quorum prius deſtinatum eſt ad ſuſtentationem regis, ejuſque familiæ: poſterius ad publicas utilitates regni. Circa prius rex habet uſumfructum, & de fructibus inde provenientibus pro ſuo arbitrio diſponere poteſt. Circa poſterius autem adminiſtratoris munus obit, idemque uſibus, quibus deſtinatum eſt, adplicare debet. Neutrum niſi conſenſu populi alienare poteſt.

§. 6. Multo minus autem, qui regnum non habet in patrimonio, totum regnum, aut ejus partem *alienare* poteſt, niſi accedat conſenſus populi, & poſteriore caſu, etiam peculiariter conſenſus partis alienandæ. Sicuti nec vice verſa membrum aliquod à civitate invita ſeſe abrumpere poteſt, niſi per vim externorum hoſtium in eam ſit redactum conditionem, ut aliter nullo modo ſalvum eſſe queat.

CAPUT

CAPUT XVI.

De Bello & Pace.

§. 1. QUanquam id legi naturali maxime ſit conveniens, ut homines pacem invicem agitent, ultro ea præſtando, quæ debebant; imo pax ipſa ſit ſtatus homini quatenus à brutis diſtinguitur peculiaris: aliquando tamen ipſi quoque homini bellum ſit licitum, & quandoque neceſſarium, quando nempe per alterius malitiam noſtra ſervare, aut jure noſtro potiri citra vim adhibitam nequimus. In quo ipſo tamen prudentia, & humanitas ſuadet, ut ne ad arma eamus, ubi ex injuriarum noſtrarum perſecutione plus mali in nos noſtroſque quam boni ſit redundaturum.

§. 2. *Juſtæ cauſæ*, ob quas bellum ſuſcipi poſſit, huc redeunt, ut nos & noſtra ſervemus ac tueamur contra injuſtam aliorum invaſionem, aut ut, quæ nobis debita ab aliis exhiberi renuuntur, aſſeramus, aut injuriæ jam illatæ reparationem & cautionem in poſterum obtineamus. Ob priorem cauſam quod geritur *bellum defenſivum*: quod ob poſteriores *offenſivum* dicitur.

§. 3. Neque tamen confeſtim, ubi quis ſeſe læſum arbitratur, ad arma eſt decurrendum, inprimis ubi adhuc dubii aliquid circa jus aut factum occurrit: ſed tentandum, num *amica via* res poſſit componi; puta, colloquio inter partes inſtituto, provocatione ad arbitros facta, aut re ſorti commiſſa. Præcipue autem hæc via tentanda illi, qui petit; quippe cum poſſeſſionem cum aliquo titulo favor utique comitetur.

§. 4. *In-*

§. 4. *Injustæ* porro bellorum *causæ* vel *aperte* tales sunt, vel *colorem* aliquem licet dilutum admittunt. Illæ ad duo potissimum capita referuntur, avaritiam & ambitionem, seu habendi, & dominandi libidinem. Hæ variæ sunt; puta, metus ex opibus & potentia vicini, utilitas jure destituta, amor sedes meliores parandi, denegatio eorum, quæ ex simplici aliqua virtute debebantur, stoliditas possessoris, cupido extinguendi jus alterius legitime quæsitum, quod nobis paulo molestius videtur: & similia.

§. 5. Etsi autem *modus agendi in bello* maxime proprius sit vis & terror: non minus tamen adversus hostem fraude ac dolo uti licet, modo fides data non lædatur. Inde hostem licet decipere sermone assertivo, seu per fictas narrationes: nequaquam autem per promissa aut pacta.

§. 6. Circa vim, quæ in bello adhibetur adversus hostem ejusque res, distinguendum est inter id, *quod hostis sine injuria pati potest*, & *quod ipsi salva humanitate nos inferre possumus*. Qui enim hostem sese mihi declaravit, cum in hoc ipso sit professio extrema mala mihi intentandi, eo ipso quoque quantum in se mihi indulget facultatem adversus se in infinitum. Humanitas tamen jubet, ut quantum armorum impetus patitur, non plus mali hosti inferamus, quam defensio aut juris nostri vindicatio, & in posterum securitas requirit.

§. 7. Solet bellum dividi in *solenne* & *minus solenne*. Ad illud requiritur, tum ut geratur autore utrinque eo, qui summum habet imperium, tum ut præcesserit indictio. Minus solenne est, quod denunciatum non est, aut quod in privatos geritur. Quo etiam pertinent bella civilia.

§. 8. *Jus bellum movendi* in civitate uti est penes eum, qui summum habet imperium: ita istud usurpare citra delegatam ab illo facultatem supra mensuram magistratus est, etiam ubi hic conjicit, summæ potestati, si con-

consuleretur, placiturum heic & nunc bellum geri. Etsi omnibus, qui alicui provinciæ aut loco munito, cum copiis militaribus præficiuntur, ex fine muneris sui id quoque injunctum intelligatur, ingruentem hostem quovis modo à locis sibi commissis repellere; ut tamen non temere bellum in ditionem hostilem transferant.

§. 9. Cæterum uti qui in naturali libertate vivit, ob injurias tantum abs se patratas bello potest peti: ita in civitate sæpe bello *invaditur rector civitatis*, aut *tota civitas*, etsi iste autor injuriæ non fuerit. Sed ut recte hoc fiat, necessum est, ut injuria illa aliquo modo in illum transierit. Ac rectores quidem civitatum ex injuriis per antiquos cives, aut qui recens ad eos confugiunt, patratis participant, si *passi* fuerint eas patrari, aut si *receptum* præstent. Ut patientia sit culpabilis, requiritur, ut quis & sciat delinqui, & possit prohibere. Sciri autem à rectore civitatis præsumuntur, quæ à civibus aperte & frequenter fiunt. Facultas prohibendi semper præsumitur, nisi ejus defectus manifeste probetur. Ut tamen, qui noxium ad se confugientem pœnæ duntaxat declinandæ causa recipit & protegit, bello peti possit, id magis ex peculiari pacto inter vicinos & socios, quam communi aliqua obligatione provenit; nisi iste profugus apud nos hostilia in eam civitatem, quam deseruit, machinetur.

§. 10. Sed & illud inter gentes receptum, ut pro debito civitatis proprio, aut quod justitiam requisitam non administrando in se derivavit, singulorum civium bona teneantur hactenus, ut extranei, quibus debetur, istis apud se deprehensis manus injicere queant: ita tamen ut civibus, quibus hoc modo sua eripiuntur, refusio sit procuranda ab illis, qui debitum contraxerunt. Quales exsecutiones solent vocari *repressaliæ*, quæ frequenter sunt bellorum præludia.

§. 11. Bellum gerere potest non solum *quilibet*

pro

pro se, sed & unus *pro altero*. Quod tamen ut recte fiat, requiritur in eo, pro quo bellum geritur, justa causa; in auxiliatore autem probabilis ratio, cujus intuitu pro isto in alium hostilia exercere queat. Inter eos autem, pro quibus non solum possumus, sed & debemus arma sumere, primo loco sunt subditi nostri non universi solum, sed & singuli; modo ex hocce civitas non evidenter majoribus malis sit involvenda. Sequuntur socii, in quorum fœdere id comprehensum est. Qui tamen non modo civibus nostris cedunt, ubi ipsi eodem tempore auxilio opus habent, sed & apud eosdem justa belli causa, & aliqua prudentia in bello suscipiendo præsupponitur. Hos excipiunt amici, etsi peculiariter id ipsis non sit promissum. Denique ubi nulla alia ratio est, vel sola communis cognatio sufficere potest, ut injuste oppressum, nostra auxilia implorantem, quantum commode facere possumus defensum eximus.

§. 12. *Licentia in bello* eousque se extendit, ut quamvis quis cædes patrando aut res vastando atque eripiendo, ultra quam humanitas admiserit, sit grassatus: gentium tamen opinione pro infami, & quem honesti viri aversari debeant, non habeatur. Nisi quod cultiores gentes modos quosdam nocendi hostibus viles habent; puta, veneno uti, aut alterius cives militesque in dominorum cædem corrumpere.

§. 13. *Res* mobiles in bello tunc demum *captæ* intelliguntur, quando persecutionem hostilem effugerunt: immobiles autem, quando ita à nobis detinentur, ut hostem inde arcendi sit facultas. Etsi ut prioris domini jus ad eas res recuperandas plane extinguatur, necessum sit, ut per subsequens pactum omni prætensioni renunciaverit. Alias enim vi partum vi licebit iterum eripere. Cæterum uti milites autoritate civitatis belligerant: ita quæ ipsi hostibus eripiunt, proprie civitati, non sibi adquirunt. Etsi

passim

passim receptum, ut mobilia, præsertim quæ non sunt magni pretii, militibus qui ceperunt relinquantur per conniventiam, aut præmii, vel quandoque stipendii loco; aut ut alliciantur, qui citra necessitatem sanguinem suum locare velint. Quando autem res captæ iterum hosti eripiuntur, immobiles quidem ad antiquos dominos redeunt; nec minus mobiles debebant; etsi apud plerosque populos & hæ militibus in prædam concedantur.

§. 14. Solet denique *bello adquiri* etiam *imperium* tam in singulos, quam in integros populos victos. Quod tamen ut fiat legitimum, & conscientias subjectorum stringat, necessum est, ut victi victoribus fidem dederint, & hi hostilem statum, animumque adversus illos exuerint.

§. 15. Suspenduntur actus bellici per *induciæ*, quæ sunt conventio, per quam ad tempus, manente belli statu ac lite, ex qua bellum fuit ortum, bellicis actibus offensivis est abstinendum; quibus elapsis, ni interea pax coiverit, citra novam indictionem ad hostilitatem reditur.

§. 16. Possunt autem *induciæ dividi* in eas, quæ ineuntur subsistentibus in expeditione exercitibus, retentoque utrinque bellico adparatu; quæ ad modicum fere tempus sumuntur: & inter eas, quibus adparatus bellicus utrinque dissolvitur. Hæ in satis longum tempus iniri possunt & solent, & plenæ pacis faciem gerunt, ac aliquando etiam pacis vocabulo insigniuntur cum adjectione certi temporis. Nam alias regulariter omnis pax æterna est, seu in perpetuum extinguit controversias, ob quas bellum conflatum erat. Quæ autem solent vocari induciæ tacitæ, nullam continent obligationem, sed partes ibi pro lubitu utrinque quiescunt, & ad actus bellicos, quandocunque placitum fuerit, procurrere iterum possunt.

§. 17. Pe-

§. 17. Penitus autem tollitur bellum, sancita per summos utrinque imperantes *pace*; cujus leges & conditiones definire uti est penes paciscentes; ita illæ fideliter & convento tempore exsecutioni dandæ & servandæ sunt. In cujus rei firmitatem non modo jusjurandum solet interponi, & obsides dari; sed & sæpe alii, imprimis qui paci conciliandæ interveniunt, ejus observationem præstandam recipiunt, auxilio promisso ei, qui contra leges pacis ab altero læsus fuerit.

CAPUT XVII.

De Fœderibus.

§. 1. BElli juxta ac pacis temporibus inseruiunt *fœdera*, seu pacta inter summos utrinque imperantes inita. Isthæc *intuitu materiæ possunt dividi* in ea, quæ constitutine de aliquo officio invicem præstando, quod jam antea lege naturali præcipiebatur; & quæ officiis legis naturalis aliquid superaddunt, aut saltem eadem, ubi indefinita videntur, ad certi quid determinant.

§. 2. Ad priorem classem referuntur fœdera, quibus de simplici duntaxat humanitate exercenda, aut noxa non inferenda convenitur. Quo pertinent & ea, quibus simplex duntaxat amicitia citra peculiarem præstationem sancitur. Aut quibus jus hospitii, aut commerciorum quatenus id naturali lege debetur, stabilitur.

§. 3. Posterioris classis fœdera sunt vel *æqualia*, vel *inæqualia*. Illa sunt, quæ utrinque eodem se modo habent; seu quando non solum æqualia utrinque

passim receptum, ut mobilia, præsertim quæ non sunt magni pretii, militibus qui ceperunt relinquantur per conniventiam, aut præmii, vel quandoque stipendii loco; aut ut alliciantur, qui citra necessitatem sanguinem suum locare velint. Quando autem res captæ iterum hosti eripiuntur, immobiles quidem ad antiquos dominos redeunt; nec minus mobiles debebant; etsi apud plerosque populos & hæ militibus in prædam concedantur.

§. 14. Solet denique *bello adquiri* etiam *imperium* tam in singulos, quam in integros populos victos. Quod tamen ut fiat legitimum, & conscientias subjectorum stringat, necessum est, ut victi victoribus fidem dederint, & hi hostilem statum, animumque adversus illos exuerint.

§. 15. Suspenduntur actus bellici per *inducias*, quæ sunt conventio, per quam ad tempus, manente belli statu ac lite, ex qua bellum fuit ortum, bellicis actibus offensivis est abstinendum; quibus elapsis, ni interea pax coiverit, citra novam indictionem ad hostilitatem reditur.

§. 16. Possunt autem *inducie dividi* in eas, quæ ineuntur subsistentibus in expeditione exercitibus, retentoque utrinque bellico adparatu; quæ ad modicum fere tempus sumuntur: & inter eas, quibus adparatus bellicus utrinque dissolvitur. Hæ in satis longum tempus iniri possunt & solent, & plenæ pacis faciem gerunt, ac aliquando etiam pacis vocabulo insigniuntur cum adjectione certi temporis. Nam alias regulariter omnis pax æterna est, seu in perpetuum extinguit controversias, ob quas bellum conflatum erat. Quæ autem solent vocari induciæ tacitæ, nullam continent obligationem, sed partes ibi pro lubitu utrinque quiescunt, & ad actus bellicos, quandocunque placitum fuerit, procurrere iterum possunt.

§. 17. Pe-

§. 17. Penitus autem tollitur bellum, sancita per summos utrinque imperantes *pace*; cujus leges & conditiones definire uti est penes paciscentes; ita illæ fideliter & convento tempore exsecutioni dandæ & servandæ sunt. In cujus rei firmitatem non modo jusjurandum solet interponi, & obsides dari; sed & sæpe alii, imprimis qui paci conciliandæ interveniunt, ejus observationem præstandam recipiunt, auxilio promisso ei, qui contra leges pacis ab altero læsus fuerit.

CAPUT XVII.

De Fœderibus.

§. 1. BElli juxta ac pacis temporibus inserviunt *fœdera*, seu pacta inter summos utrinque imperantes inita. Isthæc *intuitu materiæ possunt dividi* in ea, quæ constitutive de aliquo officio invicem præstando, quod jam antea lege naturali præcipiebatur; & quæ officiis legis naturalis aliquid superaddunt, aut saltem eadem, ubi indefinita videntur, ad certi quid determinant.

§. 2. Ad priorem classem referuntur fœdera, quibus de simplici duntaxat humanitate exercenda, aut noxa non inferenda convenitur. Quo pertinent & ea, quibus simplex duntaxat amicitia citra peculiarem præstationem sancitur. Aut quibus jus hospitii, aut commerciorum quatenus id naturali lege debetur, stabilitur.

§. 3. Posterioris classis fœdera sunt vel *æqualia*, vel *inæqualia*. Illa sunt, quæ utrinque eodem se modo habent; seu quando non solum æqualia utrinque

trinque promittuntur, ſimpliciter aut obſervata proportione virium; ſed & æquali modo, ita ut neutra pars præ altera ſit deterioris conditionis, aut alteri obnoxia.

§. 4. Inæqualia ſunt, quando vel inæquales præſtationes invicem exhibentur, vel altera pars eſt deterioris conditionis. Promittuntur autem inæqualia vel à fœderato digniore, vel à minus digno. Prius fit, ſi potentior auxilia promittat alteri, nec reſtipuletur, aut ſi majori proportione quam alter promittat. Poſterius contingit, ſi fœderatus inferior plura teneatur præſtare, quam ab altero recipit.

§. 5. Eorum, quæ à fœderato inferiore præſtantur, quædam ſunt *conjuncta cum imminutione ſummi imperii*; puta, ſi conventum ſit, ne inferior ſocius partem aliquam ſummi imperii exerceat, niſi cum conſenſu ſuperioris. Quædam autem *ſummum imperium non diminuunt*, licet adjunctum habeant aliquod onus tranſitorium, ſeu quo ſimul & ſemel licet defungi; puta, ſi ex fœdere pacis alter teneatur ſtipendium ſolvere alterius militibus, belli ſumtus reſtituere, certam ſummam pecuniæ ſolvere, mœnia diruere, obſides dare, naves, arma tradere, &c. Imo nec quævis perpetua onera ſummum imperium diminuunt. Qualia ſunt; eoſdem cum altero amicos & hoſtes habere, ſed non reciproce; ne liceat certis locis munitiones extruere, ne ad certa loca navigare, &c. Item ſi unus ſociorum alterius ſocii majeſtatem comiter teneatur colere, ſeu reverentiam quandam ipſi exhibere, & ſeſe ad ejuſdem placitum modeſte attemperare.

§. 6. Cæterum fœdera tam æqualia quam inæqualia varias ob cauſas ſolent contrahi: inter quas arctiſſimam fœderum ſpeciem producunt, quæ ad conjunctionem aliquam perpetuam

am plurium civitatum ſpectant. Frequentiſſima autem ſunt, quæ ad auxilia in bello defenſivo aut offenſivo præſtanda, aut ad commercia regenda pertinent.

§. 7. Celebris quoque eſt diviſio fœderum in *realia* & *perſonalia*. Quorum hæc ſunt, quæ cum rege intuitu perſonæ ipſius ineuntur, eoque defuncto ſimul expirant. Illa vero ſunt, quæ non tam ipſius regis, populive rectorum ut talium, quam reipubl. & regni intuitu contrahuntur, ac perdurant, iſtis licet mortuis, qui eorundem autores fuerant.

§. 8. Conjunctæ fœderibus ſunt *ſponſiones*, quæ proprie vocantur iſta pacta, quæ à miniſtro ſummæ poteſtatis circa negotia ad eandem ſpectantia ſine ipſius mandato ineuntur. Quibus uti ſummus imperans non tenetur, niſi poſtquam eadem rata habuerit: ita ſi miniſter eaſdem abſolute contraxerit, & ratihabitio ſecuta non fuerit, ipſe viderit, quomodo ſatisfaciat illis, qui ejus fidem ſecuti inanibus pactis decepti ſunt.

CAPUT XVIII.

De Officiis Civium.

§. 1. OFficium civium eſt vel *generale*, vel *ſpeciale*. Illud oritur ex communi obligatione, qua iſti imperio civili ſunt ſubjecti. Hoc vero ex peculiari munere & functione, quæ per ſummum imperium ſingulis eſt injuncta.

§. 2. Officium generale civium reſpicit vel *rectores civitatis*, vel *totam civitatem*, vel *concives*.

§. 3. *Rectoribus civitatis civis debet* reverentiam, fidelitatem, & obsequium. Cui conjunctum est, ut idem præsenti statu adquiescat, neque ad res novandas animum adjiciat, neque alteri cuivis adhæreat magis, eundemve admiretur & veneretur; utque bene ac honorifice de iisdem, & eorum actionibus sentiat, atque loquatur.

§. 4. *Erga totam civitatem officium boni civis* est, ut ejus salute & incolumitate nihil habeat carius; ut vitam, opes, fortunasque suas ad eandem servandam libenter offerat: ut ad eandem illustrandam, ejusque commoda promovenda omnes ingenii & industriæ nervos intendat.

§. 5. *Erga concives civis officium* est amice & pacifice cum illis vivere, commodum sese ac facilem præbere, nec morositate aut pervicacia sua turbas dare; cæterorum commodis non invidere, aut eadem intervertere.

§. 6. *Specialia officia* vel per universam sese remp. velut diffundunt, vel circa certam duntaxat partem occupantur. Circa quæ omnia hoc generale præceptum habetur; ne quis ullum officium in rep. affectet aut suscipiat, ad quod sese ineptum deprehendit.

§. 7. Qui *consilio* suo rectoribus civitatum adsistunt, in omnes reip. partes aciem mentis convertant; quæ ex usu reip. videbuntur esse dextre, & fideliter citra affectus ac pravos respectus exponant; salutem reip. in omnibus consiliis pro scopo habeant, non proprias opes, aut potentiam; pravis affectibus principum adulando non velificentur; factionibus & coitionibus illicitis abstineant: nihil quod dici oportet dissimulet, nihil quod taceri oportet eliminent: exterorum corruptionibus impenetrabiles sese præbeant; privatis suis negotiis aut voluptatibus publica negotia non postthabeant.

§. 8. Qui publice constituti sunt ad *sacra obeunda*, in iisdem gravitatem & attentionem adhibeant, vera de cultu Numinis dogmata proponant, eorum quæ ipsi docent

cent populo seſe conſpicuum exemplar exhibeant, nec pravitate morum muneri ſuo dignationem, doctrinæ pondus detrahant.

§. 9. Queis publice injunctum variarum *ſcientia* rerum animos civium imbuere, nihil falſi aut pernicioſi doceant: vera autem ita tradant, ut auditores iis aſſentiantur non tam adſuetudine audiendi, quam quia ſolidas eorundem rationes perſpexerunt: omnia dogmata ad ſocietatem civilem turbandam directa fugiant; omnem ſcientiam humanam inanem habeant, ex qua nulla in vitam humanam & civilem utilitas redundat.

§. 10. Qui *juri dicundo* præficiuntur, quibuſvis facilem acceſſum præbeant, plebem ab oppreſſionibus potentiorum protegant; jus æque pauperi & humili, quam potenti & gratioſo dicant; lites ultra neceſſitatem non extrahant; à corruptelis abſtineant; in cognoſcendis cauſis diligentiam adhibeant, omneſque affectus ſinceritatem judicii corrumpentes ſeponant; recte faciendo neminem timeant.

§. 11. Quibus *armorum* cura commiſſa, militem diligenter & tempeſtive exerceant, & ad tolerandos militiæ labores firment; diſciplinam militarem ſartam tectamque habeant; milites hoſti jugulandos temere non objiciant; annonam & ſtipendium quantum in ſe promte procurent, nec de eo quidquam intervertant; milites ſemper ut reip. faveant, curent nec unquam eos ſibi adverſus rempubl. concilient.

§. 12. *Milites* contra ſtipendiis ſuis contenti ſint; ab expilandis & vexandis paganis abſtineant; labores pro tuenda rep. libenter & ſtrenue obeant; pericula per temeritatem non arceſſant, per ignaviam non defugiant; fortitudinem in hoſtem, non in commilitones, oſtentent, ſtationem aſſignatam maſcule defendant; honeſtam mortem turpi fugæ & vitæ præferant.

§. 13. *Quorum opera civitas apud exteros utitur*, cauti ſint & circumſpecti, inania à ſolidis, vera à fabuloſis diſcernere callidi, ſecretorum tenaciſſimi, pro utilitate ſuæ civitatis adverſus quaſlibet corruptiones obſtinati.

§. 14. Qui *opibus civitatis colligendis* aut dispensandis præsunt; caveant ab omni non necessaria acerbitate, nec ob proprium quæstum, aut per petulantiam vel malignitatem animi oneris quid adjiciant; publici nihil intervertant; quibus de publico quid solvendum, illis citra moras non necessarias satisfaciant.

§. 15. *Durat* autem civium speciale officium, quamdiu in ea functione, ex qua illud profluit, sunt constituti: qua ubi abeunt, & illud expirat. Generale itidem durat, quamdiu cives sunt. *Cives* autem *esse desinunt*, vel si consensu expresso aut tacito civitatis discedant, & alibi sedem fortunarum figant: vel si ob delictum in exilium ejiciantur, & jure civitatis priventur; vel si hostica vi oppressi in victoris ditionem concedere adigantur.

FINIS.

SOLI DEO GLORIA.

Books Printed for, and to be sold by John Creed.

TITI LIVII qui extant Hiſtoriarum Libri. In duobus Tomis Correctis & Emendatis.

Opuſcula *Mythologica*, *Ethica*, & *Phyſica*. Græce & Latine. *Palæphatus*, *Heraclitus*, *Anonymus*, *Phurnutus*, *Salluſtius*, *Ocellus Lucanus*, *Timæus locrus*. *Demophylus*, *Democrates*, *Secundus*, *Sextius* Pythagoricus, *Theophraſti* Characteres, *Pythagoricorum fragmenta*. *Heliodori Lariſſæi Optica*.

Ἀνδρονίκου Ῥοδίου Περιπατητικοῦ φιλοσόφου Παράφρασις τῶν Ἠθικῶν Νικομαχείων. *Andronici Rhodii* Ethicorum Nichomacheorum Paraphraſis. Cum Interpretatione *Danielis Heinſii*, Cui ſubjungitur ejuſdem Libellus Περὶ παθῶν, id eſt, de *Animi Affectionibus*.

Platonis de rebus Divinis Dialogi Selecti Græce & Latine, *Socratis* Apologia, *Crito*, *Phædo*, E Libb. Legum Decimus, *Alcibiades* Secundus, de Religione, de Juſto, de Animæ Immortalitate, de Dei Exiſtentia, de Precibus; In commodas Sectiones diſpertiti; Annexo ipſarum Indice.

Samuelis Pufendorf Elementorum Juriſprudentiæ Univerſalis Libri II. Unà cum Appendice de Sphæra Morali, & Indicibus.

De

De Principiis Juris Naturalis Enchiridion. Auctore *Gulielmo Grotio* JC^to Delphenſi.

Jo. Barclaii Argenis. Cum Clave, hoc eſt, nominum propriorum elucidatione olim quidem edita.

Petri Molinæi P. F. Πάρεργα. Poëmatum Libelli Tres. I. Hymni in Symbolum Apoſtolorum. II. Eccleſiæ Gemitus. III. Sylva Variorum. Huic editioni acceſſit mantiſſa aliquot Poëmatum.

Petri Molinæi P.F. Παρέργων Incrementum.

Gualteri Charletoni Oeconomia Animalis, Novis in Medicina *Hypotheſibus* ſuperſtructa & *Mechanice* explicata. Acceſsêre ejuſdem Diſſertatio Epiſtolica, de Ortu Animæ Humanæ; & *Conſilium* Hygiaſticum.

Magna & Antiqua *Charta*, Quinque Portuum Domini Regis & Membrorum Eorundem.

Richardi Craſhawi Poëmata & Epigrammata, Quæ ſcripſit Latina & Græca, Dum *Aulæ Pemb.* Alumnus fuit, & Collegii *Petr.* Socius.

Joan. Schuleri Exercitationes ad Principiorum Philoſophiæ *Renati Des Cartes*, Partem 1^am.

Publii Terentii Comœdiæ ſex, Quibus accedunt *Notæ Marginales* Joh. Min-Ellii.

Catechęſis Eccleſiæ Anglicanæ, Una cum precibus aliquot ſelectis in uſum Regiæ Scholæ *Burienſis*.

Clavis fidei, or the Key of Faith. Written in Latine by *John Ellis* D.D. and Rector of *Whitfield* in the County of *Oxford*. And propounded by him in Publick Lectures upon the Apoſtles Creed, to the Students of *Mart's Hall* in the Univerſity of *Oxford*. Faithfully tranſlated into Engliſh by *W.F.* for the good and benefit of the ingenuous Reader, as an help to build him up in his moſt holy Faith.